

ritur, quod loquatur ut Pastor universalis Ecclesie, quod Ecclesiam universam solemniter decreto alloquatur, quo jubeat omnes fideles fide divina credere, quae decernit. Haec autem in casa Honorii non reperitur.

Gregorius III. Stephanus II. Nicolaus I. Stephanus VII. Sergius III.

Obj. 1. Gregorius III. respondens Bonifacio Moguntino, dicit virum posse dimittere uxorem, quae praefinitate non potest reddere debitum. Item dicit baptizatos a Paganis, vel Judaeis esse baptizandos. Haec autem esse falsa nullus dubitat: ergo. R. ad 1. juxta communem interpretationem, Gregorium loqui de impotentia, non quae supervenerat matrimonio, sed quae illud praecesserat, de quo alibi dixi. Neque dicas, haec verba Gregorii, si mulier, infirmitate correpta, significare infirmitatem conjugio iam inito supervenientem: quasi vero mulier non posset dici infirmitate correpta tam ante, quam post matrimonium. Unde rejicienda est nota Gratiani ad illud decretum, quae dicit Sacris Canonibus & Evangelicis Doctrinae adversari. Ad 2. Gregorius dicit, Baptizatos a Paganis & Judaeis esse baptizandos; quia incertum erat, an serio, & observata debita forma baptizassent. Respondi insuper posset, haec Rescripta non esse ex Cathedra; quia non sunt directa toti Ecclesiae.

Obj. 2. Stephanus II. dicitur approbasse Baptismum in vino collatum. R. hoc Stephani Rescriptum esse spurium, aut adulteratum, ut pluribus momentis probari Dissert. 1. de Bapt. a. 3. Obj. 2. Vide.

Obj. 3. Nicolaus I. in Responsis ad consulta Bulgarorum c. 104. docet, Baptisma collatum in nomine Christi esse validum. Respondi & probavi Diss. cit. de Baptismo art. 4. Nicolaum id dixisse non definiendo ex Cathedra, sed ex privata sententia. Non enim de eo erat interrogatus, sed tantum, utrum Baptisma, collatum a Judaeo, vel Pagano, esset validum. Requiritur insuper non est de fide, Baptisma collatum in nomine Christi esse invalidum; sunt enim Theologi, qui tenent esse validum.

Obj. 4. Stephanus VII. Acta Formosi praedecessoris sui irritavit, & ab eo ordinatos iterum ordinari jussit. Theodoros II. & Joannes IX. Successores Stephani, acta ejusdem Stephani in Formosum irritarunt. Deinde Sergius III. acta Formosi iterum irritavit, & acta Stephani probavit: ergo, vel Stephanus & Sergius ex una parte, vel Theodoros & Joannes ex altera erraverunt. R. Mirum profecto obijci factum inhumanum & crudele pro definitione summi Pontificis ex Cathedra. Stephanus ergo & Sergius errarere, non errore praedicationis, sed conversationis, seu ut dicit Spondanus ad ann. 897. non errore in fide, sed violenta Tyrannide in facto Stephanus quippe ex odio in Formosum, quem contendebat non fuisse legitimum Pontificem, sed vi & simonia intrusum, jussit exhumari ejus corpus, & in Tyberim projici, ejus acta irritavit, & ab eo ordinatos reordinari jussit, non quidem definiendo ex Cathedra, sed suo livori indulgendo. Sergius postea animo pariter exasperato in Formosum; contra quem Sedem Romanam invadere tentaverat, & cujus consilio Stephanus saevierat in Formosum, hujus acta pariter irritavit, & acta Stephani probavit. Addo, juxta plures Theologos, ordinationes Formosi non fuisse iteratas simpliciter quoad substantiam Sacramenti, sed secundum quid tantum, adhibitis scilicet certis caeremoniis, quibus ordinati a Formoso, & ideo suspensi, ut pretendebat Stephanus, liberam suorum Ordinum executionem, recipere, sicut fuerunt antiquitus ex Concilio Toletano IV. & variis exemplis probatum in Tract. de Ordine Diss. 3. a. 2. §. 2. inter Objectiones. Confer.

Celestinus III. Alexander III. Bonifacius VIII. Bonifacius IX. Joannes XXII. Sixtus V.

Obj. 1. Celestinus III. definiit, quod, cum alter conjugum labitur in haeresim, dissolvatur matrimonium, ut constat ex Innocentio III. cap. Quanto de divor. Et Alexander III. cap. Licet de sponsa duorum asserit, quosdam suos praedecessores judicasse, quod, si post matrimonium ratum, non consummatum, aliud novum matrimonium consummetur, prius dicatur. Utrumque autem est erroneum: ergo. R. Non omnia Pontificum Rescripta ad privatorum consultationes pro decidendis privatis casibus consentient, ut jam non semel observavimus, censi debere ex Cathedra pronuntiata; saepe enim respondent secundum privatam opinionem, non de-

finiendo cum solemnitate requisitis, sed simpliciter apperendo mentem suam. Unde celebris noster Cano de locis Theol. l. 5. cap. penultimo sub finem dicit: *Decretales nonnullas, constat a posterioribus meliore consilio refulatas, quoniam non est firmo decreto, sed ex Pontificum opinione prodierunt.*

Obj. 2. Alexander III. cap. Cum esset de testamentis dicit, *alienum esse... a divina lege... ut testamenta nisi 5. vel 7. testium fuerint subscriptione munita, rescindantur.* falsum autem videtur hoc esse alienum a divina Lege. R. id proferri a Pontifice, non ut definitionem, sed ut rationem definitionis. Id enim solum definit Pontifex, nequidem pro toto orbe Christiano, sed pro statu Ecclesiastico, duos vel tres testes sufficere ad validitatem testamenti ad causas pias. Nos autem dicitur, Pontifices infallibiles in definitionibus, non semper in rationibus definitionum, quae quandoque non sunt cogentes.

Obj. 3. Bonifacius VIII. definiit, omnia regna mundi Romanis Pontificibus subesse in temporalibus, idque in famosa decretali *Unam sanctam* inseruit: ergo. R. N. Ant. Quoad utramque partem. Quantum ad 1. Spondanus refert orationem habitam ab eodem Bonifacio VIII. in publico Consistorio ann. 1302. in qua protestatur se nihil tale unquam scripsisse, aut somniasse; sed Epistolam, in qua id continebatur, suo nomini suppositam fuisse a Petro Flotta. Ad 2. in decretali, *Unam sanctam*, definit tantum, *subesse Romano Pontifici, omnino esse de necessitate salutis*; quod intelligitur in spiritualibus.

Inst. Clemens V. in Concilio Viennensi hanc decretalem rescidit: ergo. R. N. Ant. Sed eam exposuit, & dixit esse sic intelligendam, ut ex illa nullum praedictum Regi, Regnoque Galliae sit illatum. His subjungit Hyacinthus Serry ipse Gallus & Doctor Parisiensis, opus, jam cit. pag. 89. *Equidem, ut fatear bona fide quod res est, nonnulla in decretali, Unam sanctam obiter inserta sunt, unde facile colligi possit, sensisse Bonifacium VIII. Principum Christianorum dominia, sin minus directe, at saltem indirecte Romanorum Pontificum auctoritati subesse, si fide, quam professi sunt, ipsi deficiant. Verum quidquid ea in parte veritas habeat, de qua meum non est ferre iudicium; fatendum est tamen, eam contra fidem Catholicam minime pugnare, imo & a viris summe Catholicis omni retro aetate fuisse defensam, ac in praesenti defendi. Unde vel sic pateat, nullam violatam fidei labem Bonif. VIII. iniuri posse, quod ita forte senserit, ac etiam ex Cathedra definiit.*

Obj. 4. Bernardinus Corio in Historia Mediolanensi p. 3. narrat, Bonifacium IX. concessisse Indulgentiam, ut, qui in dominio Vice-Comitum certam pecuniam summam in pauperes, vel templorum restorationem erogaret, esset a quocumque peccato absolutus, etsi nec contritus, nec confessus, quam ideo vocat *Indulgentiam extraordinariam*: ergo. R. supposita veritate hujus narrationis, Bonifacium intellexisse de absolute peccati quantum ad poenas canonicas, ab Ecclesia, pro gravius criminibus taxatas, non vero quantum ad culpam & poenam a Deo infligendam. Et quia non solent Romani Pontifices per Indulgentias a solis poenis Canonicis absolvere, sed etiam a culpae & poenis a Deo infligendis, ideo Historicus vocat hanc Indulgentiam *extraordinariam*.

Obj. 5. Joannes XXII. erravit circa visionem Dei faciem, quam definiit differri post ultimam corporum resurrectionem. Item idem erravit circa dominium Fratrum Minorum, vel saltem Nicolaus III. contraria enim in hac parte definiunt. R. N. utrumque Ant. Ad 1. Nihil unquam quantum ad hoc Joannem definiisse ex Cathedra, imo probabilis, neque ut privatum Doctorem id unquam, assertive docuisse, ex professu probavimus in Tract. de Beatitudine Digress. Hist. ad Diss. 2. vide. Ad 2. ostendimus Diss. 2. de Justitia art. 2. Obj. 1. hos Pontifices contraria non definiisse in materia fidei. Equidem Joannes XXII. consistit. *Ad consistendum* definit, Romanam Ecclesiam non habere dominium bonorum, quae conferuntur FF. Minoribus, quia illud abiecit, quod susceperat Nicolaus III. Verum id ad fidem non pertinet. Equidem Joannes inter rationes suae definitionis, seu ordinationis alfert, quod *usus facti non distinguatur a dominio*. At non pro rationibus definitionum, sed pro ipsi definitionibus hic pugnavit; aliunde ista ratio non est in materia fidei, sed partim naturali, partem civili. Item Joannes XXII. Constit. *Cum inter nonnullas* definit, Christum & Apostolos habuisse quaedam propria in communi: & quamvis Nicolaus III. antea definiisset cap. *Exiit* de verborum significationibus in 6. Christum & Apostolos non habuisse propria in communi, non tamen in hac parte sibi contradicent, quia sen-

sensus Nicolai est, quod Christus, & Apostoli aliquando nihil habuerint proprium in communi; sensus Joannis est, quod aliquando habuerint proprium in communi: quod utrumque verum est. Vide loco cit.

Obj. 6. Sixtus V. editionem Vulgatae, suis curis emendatam, jussit sub anathemate recipi ut authenticam; quam tamen multis mendis scatenentem curavit emendari Clemens VIII. Sixti diplomate suppresso: ergo. R. Sixtus in hoc non peccasse contra fidem; tum quia menda, quae in ejus editione reperiebantur, non ledebant fidem, aut mores, sed erant, vel vitia quaedam Grammaticae, vel quaedam leves dissonantiae a textu Graeco, & Hebraico, quales adhuc reperiantur in editione Clementis VIII. ut vidimus suo loco: tum quia non dixit simpliciter: *emendatam*, sed, *gravius optime fieri potuit.*

§. III. Solvuntur Objectiones, petite a summis Pontificibus, qui dicuntur se agnovisse fallibiles, aut ab aliis haberi sunt fallibiles.

Obj. 1. Plures Pontifices se agnovissent fallibiles, Leo IV. Can. *Si incompetentes* causa 2. q. 4. Innocentius III. serm. 2. de Consecr. Pontif. Clemens VI. in diplomate dato 7. Idus Decembris 1351. Greg. XI. in testamento, & alii: ergo. R. hos Pontifices se agnovisse fallibiles in dispensationibus, seu privilegii concedendis, in facis particularibus; vel etiam in rebus fidei, sed ut Doctores privatos, non autem ut Pastores universales Ecclesiae, loquentes ex Cathedra. Neque obstat, quod Gregorius XI. dicat se potuisse errare etiam in Consistorio; non enim quae in Consistorio aguntur, semper ex Cathedra definiuntur, sed in eis saepe causarum merita expenduntur, consilia proponuntur, absque eo quod ad sententiam solemnem deveniant. Unde ipsimet laudati Pontifices, ubi agebatur de Romani Pontificis iudicio ex Cathedra, ejus infallibilitatem strenue propugnabant: sic Innocentius III. Ep. 109. ad Patriarcham Constantinop. *Petri successores a fide Catholica nullo unquam tempore deviasse profiteretur*: & Clemens VI. inter articulos, quorum subscriptionem requisivit ab Armenis, de cismasterium erat de infallibilitate Pontificis, ut vidimus inter probationes.

Inst. Adrianus VI. in commentario super 4. sentent. distinct. 7. scribit: *Si per Romanam Ecclesiam intelligatur caput illius, puta Pontifex; certum est, quod potest errare, etiam in his, quae tangunt fidem, haerem per suam determinationem, aut decretalem asserendo: plures enim fuere Pontifices Romani haeretici*: ergo. R. Adrianum VI. haec scripsisse, antequam Cathedram Petri ascenderet, dum esset Professor publicus Lovanii: unde est sententia privati Theologi, non summi Pontificis. Et verisimile est, Pontificem factum mutasse hanc sententiam, quam obiter tantum, & ex occasione traderat. Cum enim teneret, Papam non posse dispensare cum simplici Sacerdote, ut conferret Sacramentum Confirmationis, & sibi obiceret S. Gregorium in hoc dispensasse cum Presbyteris Calaritanis, ut ab hoc argumento se expediret, dixit Pontificem posse errare. At vero, cum ipsemet, Pontifex factus, similem dispensationem, teste Vodingo in Annalibus, concessisset Fratri Galapioni Missionario in Indis; verisimile est, eum etiam a priori sententia de fallibilitate summi Pontificis recessisse.

Inst. Adrianus VI. Pontifex factus, primo Pontificatus sui anno, jussit, de novo imprimi suos Commentarios, absque ulla hujus loci correctione: ergo Pontifex in eadem sententia permansit. R. N. Cons. potuit enim ex aliis causis hanc correctionem tum omisisse: forte quia ipse Pontifex factus suum opus non recognovit, aliis gravius curis initio Pontificatus occupatus: vel quia hanc novam Editionem curavit, antequam mutasset sententiam occasione datae dispensationis Fratri Galapioni. Caeterum, dato, Adrianum Pontificem factum in ea permansisse sententia, sequitur ad summum, unum inter omnes, & contra omnes se consensisse; & ut Doctorem privatum errasse, non enim id definiit; quod non multum juvat adversariorum sententiam, nec nostrae detrahit.

Obj. 2. Pelagius I. de fide suspectus propter approbatam V. Synodum, se purgavit apud Regem Galiae, & Episcopos Tusciae, non allegata sua infallibilitate: ergo se credebatur errori obnoxium, non infallibilem. R. N. Conseq. Ex eo enim, quod quis edat Professionem fidei ad amovendas malas de se suspiciones, non sequitur, quod se credat errori obnoxium: sic S. Petrus, cujus exemplum, & verba Pelagius usurpat Act. 11. fratribus disceptantibus, quod ad *Genes doeritisset*, non allegata sua infallibilitate. *Theol. Billuart. Secunda Secunda.*

te, statim plenam satisfactionem dedit, nec tamen ideo se in praedicatione fidei errori obnoxium agnovit. Item Ep. 1. c. 2. vult, omnes fideles esse paratos ad satisfactionem omni poscenti rationem de ea, quae in ipsis est, fide; neque tamen ideo dubitat, fidem Christianorum esse errori obnoxium.

Inst. 1. Saltim Galliarum, & Tusciae Episcopi existimabant, Pelagium potuisse errare in approbatione V. Synodi. Quid tum? Idem Episcopi existimabant, V. Synodum oecumenicam a duobus Pontificibus confirmatam errasse, ideo conclusum est contra infallibilitatem Conciliorum oecumenicorum? Minime sane: sicut ergo hi Episcopi non sunt praeter tota Ecclesia audiendi circa infallibilitatem Conciliorum, ita nec contra infallibilitatem summi Pontificum.

Inst. 2. S. Columbanus Epistolam probris, & minis refoertam dedit ad Bonifacium IV: eo quod faveret V. Synodo: ergo non agnoscebat eum infallibilem. R. 1. ut ante 2. S. Columbanus, quamvis sanctitate conspicuus, erat tunc Schismaticus trium Capitulum defensoribus junctus, quod pluribus aliis viris nobilibus contigit, & eorum instinctu, praesertim Agilufi Longobardorum Regis, & Theodolindae Reginae, hanc Epistolam acrim, & vehementer scripsit, quae ideo nullus est ponderis, nec proferri deberet, sed aeterno silentio obvolvi.

Quae insuper opponunt de Asiaticis, qui restiterunt Victori, & reputaverunt eum fallibilem circa celebrationem Paschae; & de Concilio Arelatensi, quod jussu Constantini suo subiecit iudicio sententiam Melchias in causa Coecilianii; facilius adhuc solvuntur: praeter enim solutiones datas, palam est in utroque hoc casu non agi de fide. In 1. namque controversabatur, an Pascha esset celebrandum more Judaico luna 14. Martii, an die Dominico sequenti? quod ad disciplinam, non ad fidem pertinet. In 2. querebatur, an Felix Aprungitanus, qui Coecilianum ordinaverat, sacros Libros Inididibus tradiderat, & an ipse Coecilianus elemosynas in vicium Confessorum erogatas subtraxerat? quae sunt privata, & personalia. Adde, Constantinum dedisse hoc concilium, non quia necesse erat, inquit Aug. Ep. 162. *sed* (Donatistarum) *eorum perversitatibus cedens, & omni modo cupiens tantam impudentiam cohibere*. His suppositis; quod diximus de infallibilitate Ecclesiae in dirimendis questionibus facti dogmatici, & in canonizatione Sanctorum, tribuendum est summo Pontifici.

ARTICULUS VII.

De Praeeminencia summi Pontificis supra Concilium generale.

Quaestio non est de Concilio generali, ut complectitur Episcopos congregatos, & simul summum Pontificem: sic enim certum est, quod illi non sit superior Pontifex: alioquin sibi ipsi esset superior. Imo Concilium sic sumptum est quid majus saltim extensive. Sed est quaestio de Concilio generali, ut solos complectitur Episcopos congregatos, Pontifice, sive absit, sive adsit, non computato. Et quaeritur, utrum Concilio sic sumpto Pontifex sit superior auctoritate, & jurisdictione, an Concilium Pontifici? Hanc secundam partem tulerunt Galli a tempore Concilii Constantiensis, & est 2. propositio declarationis celebris Cleri Gallicani 1682. Cum autem urgentur argumentis ex Scriptura, vel Traditione, quibus probatur, Romanum Pontificem esse supremum Caput, Rectorem, Pastorem omnium fidelium; respondent, id intelligendum esse de omnibus fidelibus in particulari, seu seorsim, & distributive sumptis, non vero collectivè sumptis, & in Concilio generali adunatis: quibus e contra sic sumptis Pontifex subijcitur. Eo ferè modo, quo Generalis est caput, & Rector Ordinis, sic ut omnes Religiosos seorsim, & distributive teneantur illi obedire, ipse tamen Capitulo congregato subijcitur, & ad ejus leges adstringitur; vel sicut Dux Venetorum singulis Reipublice membris praeminet, ipse tamen toti Reipublice est inferior & subditus. Caeterarum Nationum Theologi communiter tenent, e contra summum Pontificem esse auctoritate, potestate, & jurisdictione superiore totius Ecclesiae, sive divisim, sive collectivè, sumptis, ita ut quodcumque Concilium etiam generale ipsi subijcitur, non ipsi Concilio. Res jam ex parte confecta est, ex articulis praecedentibus; si namque iudicium summi Pontificis in questionibus fidei, & morum sit infallibile, & irreformabile, sequitur, quod, quantum ad hoc, quod praecipuum est, non subijcitur Concilio. An autem quantum ad leges, ordinationes,

statuta, disciplinam, vel etiam ipsius Pontificis personam spectantia subiciatur, ita ut Concilium ejus statuta abrogare, ipsum corrigere, judicare, deponere, uno verbo, vi coactiva in ipsum agere possit? An e contra Pontifex Concilii statuta, definitiones, ordinationes rescindere, ipsaque transferre, dissolvere, probare, vel improbare possit?

Dico: Summus Pontifex est auctoritate, & jurisdictione omni Concilio superior. Prob. 1. Constat ex hac usque dictis de Primatu S. Petri, & Romani Pontificis, nec non de ejus infallibilitate, ipsum secundum Scripturam, & Traditionem esse totius, & universalis Ecclesie Caput, Pastorem, Patrem, Doctorem, & Ducem; atqui Caput aliis membris, non solum seorsim, sed simul sumptis superius est: Pastor non singulis ovibus seorsim tantum, sed toti gregi praest, & superior est: Pater non huic, vel illi proli, sed toti familiae; Doctor non huic, vel illi discipulo, sed toti Scholae; Dux non huic, & illi militi tantum, sed toti exercitui: ergo pariter Pontifex non solum singulis fidelibus seorsim, aut huic, vel illi Ecclesie, sed toti Ecclesie, non solum singulis Concilii Episcopis divisim, sed ipsi Concilio auctoritate superior est.

Confirm. 1. Ut minus summus Pontifex est auctoritate superior toti Ecclesie, sicut Episcopus toti Diocesi; atqui Episcopus est superior Diocesis, non solum seorsim, & distributive, sed etiam simul, & collectivè sumptis: ergo Conf. 2. Ipsamet Concilia generalia summum Pontificem Caput, Pastorem, Doctorem, Patrem suum vocant, & agnoscunt, ut patet ex Epistolis Synodice Concilii Constantinop. I. ad Damasum, Chalced. ad S. Leonem, Constantinop. III. ad Agathonem, aliis: ergo. Confirm. 3. Summus Pontifex est Christi Vicarius, ut fatentur omnes, & constat ex formula fidei jussu Pii IV. ab omnibus Episcopis, Synodis & aliis edenda, in qua sic legitur: Romanique Pontifici B. Petri Apostolorum Principi ac JESU CHRISTI VICARIO veram obedientiam sponte, & jura; quod dici non potest de Concilio; cum enim Ecclesiam representet, debet potius dici Vicarius Ecclesie; atqui Christus habet auctoritatem in universam Ecclesiam tam divisim, quam conjunctim: ergo & ejus Vicarius. Patet Cons. tum quia, que Christo potestate sunt propria, sunt Petro ejus Vicario cum ipso participatione communia, inquit S. Leo Serm. 3. de Annivers. Assumpt. tum quia si Concilium, quod est Vicarius Ecclesie, esset supra Christi Vicarium, Ecclesia foret supra Christum; principale enim secundum Jura non est deterioris conditionis, quam accessorium; stultum, & impium: Consequens: ergo.

Prob. 2. Summi Pontifices jure summo, & nemine reclamante supremam potestatem exercentur supra Concilia generalia: etenim quibusdam definiendi Regularum praescripserunt, quorundam Acta resciderunt, alia in integrum irritaverunt, alia probarunt, & confirmarunt. Hac autem sunt aperta superioris auctoritatis indicia: ergo. Prob. 1. pars Ant. Celestinus definiendi formam ipsamque sententiam contra Nestorium ferendam praescripsit Concilio Ephesino; S. Leo Concilio Chalced. contra Eutychem; Agatho Concilio VI. contra Monotheitas; Adrianus I. Concilio VII. contra Iconomachos; & Adrianus II. Concilio VIII. contra Photium. Hac omnia constant ex art. 5. §. 4. Prob. 2. pars Ant. S. Leo Canonem 28. quo jura Patriarchae Constantinop. decernebantur, quantumvis rogatus confirmare constanter tenuit, & in irritum misit. Verum, quia hoc facto invicte probatur auctoritas Romani Pontificis Concilio superior, non unum adversarii excogitaverunt effugium.

Dicunt 1. Nos equidem statum questionis non intelligere. Hi enim, ut inquirunt, sustinent dumtaxat cum Concilio Constantiensi, potius esse Concilii auctoritatem in his, quae pertinent ad fidem, ad extinctionem Schismatis, & reformationem generalem Ecclesie in capite, & in membris, de quibus non agitur in praefato canone. Sed contra 1. Si Papa sit superior Concilio in reformandis, & statuendis jurebus Patriarchalibus, quare non esset in aliis? Quo loco Scripturae, vel Traditionis, in qua summi Pontificis auctoritas asseritur, haec distinctio, exceptio, vel restrictio legitur? 2. Si Concilium statuisset de jurebus Pontificis, ejus decretum pertineret ad reformationem Ecclesie in capite: ergo statuendo de jurebus Patriarchalibus, ejus decretum pertinet ad reformationem Ecclesie in membris.

Dicunt 2. Orientales Patres id sibi tribuisse ut Patrum limites, & canones Nicenos, repugnante toto Occidente, convellerent; quod eis non licebat. Opinione: ergo Con-

cilium generale absque Pontifice, aut eo non consentiente, potest errare; sique ejus judicium auctoritate superiori est seformabile.

Instant: In hoc canone statuendo nequaquam Concilii generalis auctoritate gaudebant, a quorum decretis, in ea actione, cum Sede Apostolica universus Occidens recedebat. Sed contra 1. Quis ipsis revelaverat, Romanum Pontificem, cujus consensum instantè petebant, huic decreto non consensurum, & eo consentiente, universum Occidentem dissensurum? Quid velim hoc est, nisi fingere? 2. Nullum fuit Concilium, quod sub hoc praetextu non potuerit excidere a sua oecumenicitate; poterant enim Occidentales dicere, Concilia Orientalia dehisce contra sensum totius Occidentis, & Orientales pariter de Occidentalibus. Neque, refert, quod illis Pontifex praesert, & consentiret per se, vel per suos legatos: impertinens namque videtur in ea sententia adversariorum ad oecumenicitatem Concilii, quod Pontifex consentiat, nec ne; siquidem secundum illos Concilium definiens contra Pontificem dissentientem, remanet oecumenicum: ergo definiens consentiente Pontifice, si totus Oriens, vel Occidens dissentiat, non remanet oecumenicum.

Prob. 3. Pars Ant. S. Leo irritavit Concilium Ephesinum II. ex ejus assensu convocatum, & cui aderant ejus legati: ergo. Respondent, hoc Concilium, etsi generale, per se fuisse nullum propter vim, & ex defectu auctoritatis. Sed contra 1. Nullibi constat, majorem Patrum partem metu adactam subscripsisse, quod tamen debet esse manifestum: alioquin Haeretici hoc praetextu possent omnia Concilia rejicere dicendo, Patres metu censurarum, exclusionis a Beneficiis, indignationis Pontificis, aut Caesaris, &c. subscripsisse. Contra 2. Legati Pontificis praesentes aderant, & quamvis Dioscorus auctoritatem Praesidis usurpare tentaret, reclamabant Pontificis legati, quod sufficit in sententia adversariorum, ut Concilium remaneat oecumenicum, & valeat. Suppono enim, quod Concilium, convocazione, & praesidentia Pontificis per se, vel per suos legatos, legitimum, & generale, remanente Pontifice, deficiat, sive in materia fidei, sive contra ipsum Pontificem, eum corrigendo, judicando, vel deponendo. His definitionibus certo non praesidebit Pontifex, maxime contra seipsum, & tamen in sententia adversariorum remanebit Concilium oecumenicum cum privilegio infallibilitatis, & superioritatis ad summum Pontificem: ergo idem fateantur de Concilio II. Ephesino. 2. Revera deest auctoritas huic Concilio, sed non alia ratione, quam quia summus Pontifex per suos legatos remanebat ejus definitioibus, & ideo verè nullum: ergo quodcumque Concilium generale, non computato, & non assentiente summo Pontifice, caret auctoritate, & est nullum; quod est ipsissima thesis nostra.

Quantum ad 4. Partem Ant. de confirmatione Conciliorum per Pontificem, eam probabimus Diss. seq. dum de Conciliis; nec eam omnino negant Adversarii, sed dicunt To Confirmare nihil aliud significare, quam approbare, consentire, adherere, asserere, pro veris, & firmis habere, testificari sic esse, & contra haereticos vindicare, non vero auctoritative judicare, & firmitatem, robur, ac validitatem conferre: sic inquirunt, aequales, aut etiam inferiores dicuntur confirmare dicta, seu acta suorum aequalium, aut etiam superiorum, quando illis consentiunt, & adherent: sic passim legitimus, Synodum Nicenam confirmari a Synodis sequentibus, etiam Provincialibus: Acta Synodorum generalium ab Imperatoribus; decreta Pontificum a suis Successoribus, &c. quae confirmatio est honoraria, consensu, & adhesionis tantum, non auctoritativa. Sed contra: Confirmationem petunt, & datam a summis Pontificibus Conciliis generalibus non esse honorariam tantum, & simplicis consensu, & adhesionis, sicut datam ab aequalibus, aut inferioribus, sed auctoritativam & validitatem conferentem, constat; quia petitur, & datur, ut Concilia generalia firmitatem habeant; sic enim loquuntur Patres Concilii IV. & VI. & sine hac confirmatione non est ratum nec firmum Concilium, ut patet de Concilio Ephesino II. de Canone 28. Concilii Chalced. & de V. Concilio generali Constantinop. II. atque Jura ita expresse declarant d. 17. cap. Regula ex Julio Papa: Nec nullum ratum est, aut erit unquam Concilium, quod non fultum fuerit ejus (Ecclesie Romanae) auctoritate: Et c. Multis ex Pelagio II. Unde Socrates l. 2. Hist. c. 5. ait: Canon Ecclesiasticus vetat, ne decreta absque sententia Episcopi Romani Ecclesie sentiantur. Sozomenus l. 3. c. 9. dicit, legem esse ad Sacerdotii dignitatem spectantem, quae pronuntiat acta illa irrita esse, quae praeter sententiam

Epis-

Episcopi Romani constituuntur. Et Concilium Romanum sub Damaso de Ariminensi: „Prajudicium certi numeri Ariminensis Conventus nullum esse potest, quando ita est habitus, ut neque Romani Pontificis, cujus ante omnia sententiam cognoscere debuerant, consensus illis adfuerit.“ Idem probant, quae modo dicimus de appellationibus a Concilio ad summum Pontificem; ac denique ratio ipsa. Non enim Concilium generale habet firmitatem & indefectibilitatem in suis decretis, nisi quatenus representat Ecclesiam universam; atqui non representat Ecclesiam universam, nisi caput, seu Romanum Pontificem secum judicantem habeat, nec sensetur Romanus Pontifex cum Concilio judicare, nisi dum Conciliorum decreta confirmat: ergo. Huic 2. Probationi cumulum adjiciet Leo X. in Constitut. Pastor aeternus, quae lecta fuit, nec improbat in Concilio generali Lateran. V. sess. 11. in qua sic dicit „Solum Romanum Pontificem pro tempore existentem, tanquam auctoritatem super omnia Concilia habentem, tam Conciliorum indicendorum, transferendorum, ac dissolvendorum plenum jus & potestatem habere, nedum ex sacrae Scripturae testimonio, dictis SS. Patrum, ac aliorum Romanorum Pontificum etiam Praedecessorum nostrorum, sacrorum Canonum Decretis sed propria etiam eorumdem Conciliorum confessione manifestè constat; quorum aliqua referre placuit, reliqua vero utpotè notiora silentio praeteriit.“ In Alexandria enim Synodo, Athanasio ibidem existente, Felici Romano Pontifici ab eadem Synodo scriptum „fuisse legitimus, Nicenam Synodum statuisse, non debere absque Romani Pontificis auctoritate Concilia celebrari. Neque nos late etiam eundem Leonem Pontificem, Ephesinam, & 2. Synodum ad Chalcedonem transulisse, Martinum Patrem V. Praesidentibus suis in Concilio Senensi potestatem transferendi Concilium, nulla consensu ipsius Concilii mentione habita, dedisse. Ephesinam quoque 1. Synodum, Celestinam, & Chalcedonensem eidem Leoni, 6. Agathonis, 7. Adriano, 8. etiam Constantinopolitanam Synodum Adriano summum Pontifici, Praedecessoribus nostris, maxime reverentiam exhibuisse, eorumque Pontificum institutionibus & mandatis, in sacris Conciliis per eos editis & factis reverentè & humiliter obtemperasse. Unde Damasus Papa, & ceteri Episcopi Romae congregati, scribentes de Concilio Ariminensi Episcopi in Illirico constituti, praedictum aliquod per numerum Episcoporum Arimini congregatorum fieri non potuisse, testantur: quantum doquendum constat, Romanum Pontificem, cujus ante omnia debebat spectari decretum, talibus non praebuisse consensum. Eundemque Leonem Pontificem universis Siciliae Episcopis scribentem idem voluisse apparere; consueveruntque antiquorum Conciliorum Patres, pro eorum, quae in sacris Conciliis gesta fuerant, corroborazione a Romano Pontifice subscriptionem approbationemque humiliter petere & obtinere, prout ex Nicena & Ephesina, ac Chalcedon. hujusmodi & 6. Constantinopolitanam, & 7. eadem dem Nicenam, & Romanam sub Symmacho, Synodis habitis, eorumque gestis, nec non in Aimari lib. de Synodis manifestè colligitur: quod etiam novissime Constantiensis Patres fecisse, constat. Nihil hic habent, quod respondeant adversarii, nisi, hanc Leonis declarationem non fuisse Concilii, aut ipsius definitionem dogmaticam, & ex cathedra prolata non esse, sed propositionem obiter & incidenter insertam occasione Pragmaticae Sanctionis, cujus abolitionem principaliter intendebat Pontifex. Ita sit, non inficiamur; alioquin adversarii forent haeretici; sed quis sensurus & praedictis vacuus sententiam summi Pontificis in Concilio generali declarantem, assertam & probatam, nullo ex his, quorum maxime intererat, reclamante, non praefert Doctorum privatorum sensu.

Prob. 3. conclusio. Non est licitum appellare a summo Pontifice ad Concilium generale; est autem licitum appellare a Concilio generali ad summum Pontificem; atqui appellatio non fit, nisi ab inferiori ad superiorem: ergo Pontifex est auctoritate superior Concilio generali. Primam partem Maj. auctoritate & ratione probavimus art. 5. §. 6. quibus ad majorem explicationem & corroboracionem adde sequentia. Gelasius Papa Ep. 17. ad Episcopos Dardaniæ dicit: „Prima sedes unquamque Synodum sua auctoritate confirmat, & congrua moderatione custodit pro suo Principum... Non reticemus, quod cuncta per mundum novit Ecclesia, quoniam quorundamlibet Episcoporum sententia ligata B. Petri Apostoli sedes jus habet resolvendi; utpote cum de omni Ecclesia jus habet judicandi, neque cuiquam liceat de ejus judicio judicare: si quidem ad illam de qualibet mundi parte canones appellari voluerunt, ab illa autem nemo sit appellare permissus. Nicolaus I. Ep. 8. ad

Michaëlem Imperatorem, cujus verba jam supra retulimus, & repetere juvat: Ipsi sunt canones, inquit, qui appellationes totius Ecclesiae ad hujus Sedis examen voluerunt deleri, ab ipsa nusquam prorsus appellari debere sanxerunt; ac per hoc illam de tota Ecclesia judicare, ipsam vero ad nullius commeari judicium.“ Quid his respondeant adversarii, require cum solutionibus §. 6. citato & confer ultimam probationem infra, ubi Ecclesiae Gallianae Partes in idem referemus.

Item Jure novo, Martinus V. Bulla promulgata in publico Consistorio Concilii Constantiensis, sub pena excommunicationis prohibuit appellationem a Papa ad Concilium. Vide infra obj. 1. Idem Pius II. litteris Mantuae in conventu Principum publicatis ann. 1469. Julius II. & Gregorius XIII. in Bulla Coenae. Opponunt adversarii quosdam appellationes factas a Papa ad Concilium. Sed facta non probatur jus, nec valet consequentia: Factum est, ergo licet facere. De hoc latius in Sol. Obj.

Secunda pars Ant. jam probata manet ex laudatis auctoritatibus Gelasii & Nicolai. Insuper probatur. S. Flavianus a 2. Concilio Ephesino, convocazione & Legatorum praesentia generali, appellavit ad S. Leonem; ut constat ex Ep. ejusdem S. Leonis ad Theodosium Imperatorem, in qua dicit: Legatis nostris Libellum appellationis Flavianus Episcopus dedit. Pariter Theodoretus Episcopus Cyri in eodem Concilio damnatus appellavit, ut constat ex actis Concilii Chalced. Macarius & alii in 6. Synodo Oecumenica damnati appellaverunt ad Leonem II. ut patet ex litteris Constantini Pogonati ad eundem Leonem, in quibus dicit: „Omnes scriptis precibus serenitatem nostram precatu sunt, ut eos ad beatitudinem vestram mitteremus; sic igitur fecimus, vestro paterno iudicio omnem ipsorum causam permittentes. Hincmarus Rhemensis saeculo 9. lib. de divort. Lotharii dicit: Quibus omnibus demonstratur, quia Synodus Comprovincialium Episcoporum judicium; generalis autem Synodus Comprovincialium judicationes sive dissensiones vel probet, vel corrigat. Apostolica vero Sedes & Comprovincialium & Generalium retractet, reficet, & confirmet judicium: sicut Epistola Leonis, atque Gelasii, ceterorumque Romanorum Pontificum, & Sardicensis Synodus evidenter ostendunt, & Episcoporum rectè judicantium confirmatur, & secus iudicantium corrigitur, & interim funditus non perit auctoritas.“

Id denique ratio evincit. Licitum est appellare a Tribunali fallibili ad infallibile; atqui summus Pontifex est Judex infallibilis, saltem in questionibus fidei & morum, ut probatum est articulis praecedentibus: Concilium autem generale, prout hic sumitur, est errori obnoxium; loquimur enim hic de Concilio generali, non ut complectitur omnes Episcopos simul & summum Pontificem, sic enim esset appellare a Pontifice ad Pontificem, sed ut complectitur omnes Episcopos non computato Pontifice, sive absente, sive praesente, sed non consentiente, ut explicuimus initio articuli. Concilium autem generale sic sumptum posse errare, constat tum ex secundo Ephesino; tum quia, ut jam dixi, sic non representat Ecclesiam, quia non est Ecclesia sine capite; non est autem infallibile, nisi quatenus representat Ecclesiam: ergo.

Prob. 4. Conclusio. Summus Pontifex non potest iudicari a Concilio generali: ergo non est illi inferior. Prob. Ant. 1. Can. „Si Papa Dist. 40. dicitur: Cunctos iudicaturus ipse, a nemine est iudicandus, nisi deprehendatur a fide devius. 2. Cap. Aliorum causa 9. q. 3. Aliorum hominum causas Deus voluit per homines terminari, Sedis autem Romanae Praesulem suo, sine questione, reservavit arbitrio. Quod excludit Concilium tam generale, quam particulare. 3. Concilium Romanum sub Adriano II. c. 4. Romanum Pontificem de omnium Ecclesiarum Praesulibus iudicasse legitimus; de eo vero quemquam iudicasse, non legitimus. 4. Concilium generale VIII. sub Adriano act. 10. Can. 10. Si synodus universalis fuerit congregata, & facta fuerit etiam de sancta Romanorum Ecclesia quavis ambiguitas & controversia, oportet venerabiliter & cum convenienti reverentia de proposita questione sciscitari, & solutionem accipere aut proficere & profectum facere; non tamen audacter sententiam dicere contra summos seniores Romae Pontifices.“ Neque dicas, non licere Audacter, licere tamen reverenter: quam enim ambo reverentiam iudex habere potest erga subditum, quem condemnat? Non licet ergo absolute, quia fieri non potest nisi Audacter. 5. Concilium Lateran. sub Alexandro III. refertur cap. Licet, extra de Electione idem monet maximam cautelam adhibendam esse in Electione summi Pontificis; quia, si delinquit ille, non poterit ad superiorem haberi recursus, scilicet ut iudicetur: ergo nec

nec Concilium generale est ipsi superius. 6. Innocentius III. Serm. 2. de Consecrat. summi Pontificis: In tantum, inquit, mihi fides necessaria est, ut cum de ceteris peccatis Deum solum iudicem habeam, propter solum peccatum, quod in fide committitur, possim ab Ecclesia iudicari.

Est, qui conatur evadere dicendo, Pontificem a nemine posse iudicari, significare non posse iudicari ab ullo particulari; non vero non posse iudicari a tota Ecclesia, seu Concilio generali. Sed contra 1. Laudata testimonia non solum dicunt Pontificem a nemine posse iudicari, sed cap. Aliorum dicitur ipsum solum Dei arbitrio reservari, quod excludit Concilium generale: Concilium VIII. dicit, non licere Synodo generali dicere sententiam in illum: Concilium Lateran. dicit, eum non habere superiorem: ergo nec Concilium generale. 2. Quis unquam somniavit, Tota Nemo excludere singulos particulares tantum, & non omnes collectos? Nemo quasi ne homo: docent autem Dialectici, particulam negativam esse malignantis naturae, & totum destrueret. Non ergo solum aliquot particulares, sed omnes excludit: & forte verax erit, qui dicit Nemo est in Ecclesia, licet omnes fideles sint in ea collecti? Qui dicit, Canon, qui dicitur Tridentini, a nemine esse definitus; quia non ab aliquo particulari, sed a toto Concilio sunt definiti? Sicne ludimus in rebus gravissimis? Infirmam sanè causam, quae non nisi talibus figmentis defendi potest.

Prob. 5. Conclusio ex avita Ecclesiae Gallicanae Doctrina: sicut advocavimus supra Ecclesiam Gallicanam in confirmationem infallibilitatis Romani Pontificis, juvat etiam nunc eam advocare pro eius auctoritate superiori ad Concilium generale. Circa annum 503. occasione Symmachi Papae, quod licet sponte annuissent Concilium Romanum, vulgò Palmare, in iudicium vocaverat, S. Avitus Viennensis Archiepiscopus, nomine Ecclesiae Gallicanae ad Urbis Senatores sic scribit: „Quoniam cunctis Gallicanis fratribus meis ad hoc ipsum, non minus per mandata, quam per litteras oratur, quaecumque a vobis ambimus, unus per litteras suscipi... Non facile datur intelligi, qua vel ratione, vel lege ab inferioribus eminentior iudicetur... In Sacerdotibus ceteris potest, si quid forte mutaverit, reformari, at si Papa Urbis vocatur in dubium, Episcopatus iam videbitur, non Episcopus, vacillare... Redder rationem, qui ovili Dominici praest, qua commissam sibi agnom curam administratione dispenset: Ceterum non est gregis Pastorem proprium terrere, sed iudicari.“ Concilium generale est gregis.

Anno 800. Episcopi Gallicani, jussu Caroli Magni ad Concilium Romanum vocati in causa Leonis III. de variis criminibus ab æmulis accusati, parere renuerunt, nisi Pontifex ipse se illorum iudicio sponte submitteret, hac ratione, quod, cum esset caput omnium Ecclesiarum, a nemine possit iudicari: Dixerunt enim, teste Anastasio in vita Leonis III. „Nos Sedem Apostolicam, quae est caput omnium Dei Ecclesiarum, iudicare non audeamus; nam ab ipsa nos omnes & Vicario suo iudicamur, ipsa a nemine iudicatur, quemadmodum antiquitus mos fuit; sed, sicut ipsemet Pontifex consuevit, jubeat, & canonicè obediemus.“

Saeculo 9. Hincmarus Rhemensis Archiep. Ep. ad Nicolaum I. dicit: „Omnes senes cum junioribus scimus, nostras Ecclesias subditas esse Romanae Ecclesiae, & nos Episcopos in Primatu B. Petri subjectos esse Romano Pontifici: & ob id, salva fide, quae in Ecclesia semper vigilat & Domino cooperante florebit, nobis est vestrae Apostolicae auctoritati obediendum. Vide alterum locum Hincmari supra prob. 3. Eodem saeculo Ecclesia Gallicana in Concilio Pontigonensi edidit duos canones; quorum primus sic habet: Statuimus, ut sancta Romana Ecclesia, sicut est caput omnium Ecclesiarum, ita ab omnibus honoretur & veneretur: neque quisquam contra jus & potestatem ipsius aliquid injustè agere praesumat; sed liceat ei debitum tenere vigorem & pro universali Ecclesia exhibere curam. Secundus sic legitur: Ut honor Domino & spirituali Patri nostro Joanni summo Pontifici & venerabili universali Papae ab omnibus conservetur; Et, quae secundum sacrum Ministerium suum auctoritate Apostolica decreverit, cum summa veneratione ab omnibus suscipiantur, & debita illi obedientia in omnibus conservetur.“

Saeculo 12. S. Yvo Carnoti Episcopus Ep. 159. „Quoniam, inquit, iudicia Romanae Ecclesiae a nemine foris retractari posse, eadem Ecclesia Romana docente, didicimus: si qui aliquando se praegravatos illius Ecclesiae auctoritate conqueverunt, hoc eis concilium damus, ut non descendant in Aegyptum propter auxilium, sed ab ipsa ad ipsam confugiant, & inde expectent levamen, unde se conqueverunt accepisse gravamen. Et Ep. 233. ad Abbatem Angeriacensem

sem in causa Paschalis II. qui dicebatur concessisse, contra Ecclesiae jura, investituram Henrico Imperatori, scribit sic: Quia verenda Patris debemus potius velare, quam prode familiaribus, charitatem redolentibus litteris admonendus mihi videtur, ut se iudicet, aut factum tuum retractet: quod si fecerit, reddamus Deo gratias, & gaudeat nobiscum omnis Ecclesia, quae graviter languet, dum caput ejus laborat, tanta debilitatum molestia. Si autem in hoc languore insanabiliter egrotaverit, non est nostrum iudicare de summo Pontifice.“

Circa idem tempus & in eadem causa, Episcopi Provinciae Senonensis recusarunt adesse Concilio Nationay apud Ansam congregato, hac ratione, quod Romani Pontifices, nisi a fide manifestè deviant, a nemine possint iudicari, sed solum Dei iudicio subiacent: „Non videtur nobis utile, inquit, ad illa Concilia convenire, in quibus non possumus eas personas, contra quas agitur, condemnare, vel iudicare: quia nec nostro, nec ullius hominum probantur subjacere iudicio. Unde nos constat esse immunes, si facta eorum, oris gladio, ferite formidamus; cum ipse mediator obedire eis praecipiat, etiam si tales sint, quales erant Pharisaei; si ea, quae ad Cathedram pertinent, recta praecipiant, ea verò minime faciant. Ex quibus omnibus hoc constare videtur, quatenus femoralia sacerdotalia pudendis supponamus, ne verenda nostra deridenda insidiatoribus nostris exponamus; & unde quatenus reformare Ecclesiae fortitudinem, in majorem incurramus debilitatem. Hac dicentes non instruimus prudentiam vestram, sed excusamus innocentiam nostram: quia & principalis Ecclesiae claves nolumus potestate sua privare; quaecumque persona vices Petri habeat, nisi manifestè ab Evangelica veritate discedat. Eodem saeculo S. Bernardus Ecclesiae Gallicanae deus Ep. 213. Pontifices alloquitur: Quis, inquit, mihi faciet justitiam de vobis? Extat quidem tribunal Christi, sed abicit, ut ad illud appellemus... Itaque recurro ad eum, cui datum est iudicare de universis, hoc est, ad vos. Vos appello ad vos, iudicate & me & vos.“ Non me later Adversarios glossis & interpretationibus hac testimonia eludere conari; sed quae ex antea dictis & ex ipsis textibus attentè perpensis conflantur.

Anno 1305. Cum Regni Proceres peterent a Clemente V. ut damnaret memoriam Bonifacii VIII. quem dicebant haereticum fuisse, ut hominem privatum, nec legitimum exituisse Pontificem, ut vidimus art. 5. §. 5. addunt: „Cum de Bonifacii mortui haeresi quaeritur, non debet congregari Concilium generale. Estis enim vos, Pater sanctissime, Jesu Christi Vicarius, totum corpus Ecclesiae representans, qui claves Regni caelestis habetis. Nec congregatum totum Concilium sine vobis & nisi per vos posset cognoscere de negotio supra dicto, juxta Patrum sancta, sententiamque Doctorum Juris & Ecclesiae sanctae Dei.“ Coetus sit, qui in his verbis non videat, potiorum esse Pontificis auctoritatem, quam Concilii. Anno 1324. Theologi Facultatis Parisiensis obtulerunt Clementi VII. Avenione sedenti, tractatum Theologicum, in quo agnoscunt, asserunt, & probant ejus Supremam auctoritatem in Ecclesia, ut vidimus art. 5. §. 5. cit. Si verò Suprema: ergo nulla major.

A tempore igitur dumtaxat Concilii Constantiensis coepit Ecclesia Gallicana ab hac avita majorum sententia recedere, agente & Duce Joanne Gerson Academiæ Parisiensis Cancellario, quem multi celebrant, ut pium, ac doctum Theologum: sit ita, non contendo. Verum tamen ejus doctrinam praesertim de obligatione Legum humanarum, de Ecclesia, & summo Pontifice, a nullo verè Catholico probari posse, arbitrantur plures alii: indignant inter alia tractatum De modis uniendo, ac reformandi Ecclesiam, qui habetur Tom. 2. Operum Gersonis Edit. Antwerpensis 1706. p. 162. & seqq. Judicium sit penes Lectorem.

ARTICULUS VIII

Solvuntur objectiones.

§. I. Solvuntur Objectiones ex Concilio Constantiensi & Basiliensi.

Obj. & praecipue: Concilium Constantiense Sess. 4. sic decernit: „Haec S. Synodus Constantiensis, generale Concilium faciens pro extirpatione praesentis schismatis & unionis, ac reformatione Ecclesiae Dei in capite & in membris faciendae... in Spiritu S. legitime congregata... ordinat, disponit, statuit, decernit, & declarat, ut sequitur. Et 1. quod ipsa Synodus in Spiritu S. congregata legitime generale Concilium faciens, & Ecclesiam catholicam militantem representans, potestatem a Christo immediate habet,

cui quilibet cujuscumque status, vel dignitatis, etiamsi Papalis existat, obedire tenetur in his, quae pertinent ad fidem & extirpationem dicti schismatis, & reformationem generalem Ecclesiae Dei in capite & in membris. Et Sess. 5. idem decretum repetit & addit: Item declarat, quod quicumque, cujuscumque conditionis, status & dignitatis, etiamsi Papalis, qui mandatis, statutis, seu ordinationibus, aut praecipis hujus sacrae Synodi, & cujuscumque alterius Concilii generalis legitime congregati, super praemissis, seu ad ea pertinentibus, factis, vel faciendis, obedire contumaciter contempserit, nisi resipuerit, condigne Poenitentiae subjiciatur, & debite puniatur, etiam ad alia Juris subsidia, si opus fuerit, recurratur.“ ergo.

Hic argumento, quod putant invincibile, triplex adhibetur responsio. Prima & communior est, haec decreta esse intelligenda, non de Conciliis generalibus extra tempus schismatis, & quando est certus Pontifex, sed tantum de Conciliis tempore schismatis celebratis, & de dubiis Pontificibus, quales tunc erant Joannes XXIII. Gregorius XII. & Benedictus XIII. qui in casu, cum nullus sit Papa; nam Papa dubius non est Papa, cum non sit caput visibile Ecclesiae; fatetur Concilium habere potestatem immediate a Christo: cui quilibet cujuscumque status, aut dignitatis, etiamsi Papalis, obedire tenetur in his, quae pertinent ad fidem & extirpationem schismatis, ac reformationem generalem Ecclesiae Dei in capite & in membris. Veritas hujus responsionis constat 1. ex ipsis terminis decretorum in decreto enim sessionis 4. & in 1. parte decreti sessionis 5. sermo est tantum de hoc Concilio Constantiensi, pro extirpatione praesentis schismatis convocato. Equidem in 2. parte decreti sessionis 5. dicitur: Et cujuscumque alterius Concilii generalis, legitime congregati; sed dicitur statim restringitur verbis sequentibus. Super praemissis, seu ad ea pertinentibus, factis, vel faciendis: Quae sunt autem praemissa, nisi schisma extirpandum, & dubii Pontifices deponendi, quod vera & propria causa fuit Concilii Constantiensis celebrandi, ut patet ex terminis, initio decretorum positus. 2. Constat ex testimonio Cardinalis Joannis de Turresemata, qui Concilio praesens aderat, in Summa de Ecclesia c. 99. Manifestè patet, inquit, quod Decretum illorum Patrum non loquitur universaliter de quolibet Synodo, sed de illa singulariter, pro cuius tempore non erat in Ecclesia Pastor totius Ecclesiae indubitatus. 3. Cum quidam Patres Concilii dicerent, Eminentissimos Cardinales excludendos esse a Concilio, dum ageretur de reformatione Ecclesiae in capite & in membris, hi obtulerunt Concilio scriptum, cuius 2. conclusio sic erat: „Romana Ecclesia, sicut omnium Ecclesiarum magistra est, sic earum caput merito dici potest. Romana Ecclesia sicut omnium Ecclesiarum caput dicitur, sic & Concilii generalis, imò universalis Ecclesiae, quae ex omnibus particularibus Ecclesiis integratur. Huic Conclusioni sic responderit Concilium: Nota super verbo Caput, hoc concedatur, tamen non ad solvendum schisma, aut difformitatem. Item nota super verbo Concilii, est subdistingendum; quia hoc est verum in aliquo Concilio, maxime cum agitur ad elidendum aliquem errorem contra Catholicam fidem, seu haeresim extirpandam. Ubi autem agitur de schismate tollendo in Romana Ecclesia, quod per Cardinales ortum habuit, aut qua Cardinales alias abusi sunt electione, & in similibus, ibi non habet locum. Et cum Eminent. Cardinales art. ultimo sui scripti dixissent: Item pro 8. & 9. Conclusionis facti, quod Romana Ecclesia habet alias in parte sollicitudinis, non in plenitudine potestatis. 2. q. 6. cap. Decreto. Facit etiam ad idem, quod Romana Ecclesia potest de aliis omnibus iudicare, sed ipsa non potest a quoque alio iudicari 9. q. 3. cap. Patet. Facit etiam pro praedictis, quod Romana Ecclesia consuetudo circa institutiones Ecclesiasticas ab omnibus servanda est D. 9. c. Quis; &c. Respondet Concilium sic Omnibus istis Conclusionibus, & earum probationibus introductis, potest responderi summarie, quod forte ita scriptum est in Jure, sed illud intelligendum est, ceteris paribus. Sed hic cetera non sunt paria, & ideo non faciunt ad oppositum.“ Ita referunt acta Concilii apud Vanderhat Tom. 2. p. 13. pag. 287. Ex quibus luce clarius patet, Concilium Decreti sua intellexisse de praesenti & simili casu schismatis, & dubii Pontificis tantum, non de quibuscumque Conciliis generalibus. 4. Martinus V. canonicè electus & certus Pontifex se Concilio superioriorem probavit. 1. Quia statim solus definitivè cum clausula, Sacro approbante Concilio. 2. Dissolvit, quando voluit, Concilium & quamvis quidam agere ferrent, quod dissolveretur, non facta reformatione, nullus tamen ausus est reclamare. 3. Bulla inter cunctas, data in Concilio, jubet interrogari suspectos de erroribus Wi-

clefi: Utrum credat, quod Papa canonicè electus, qui pro tempore fuerit, eius nomine proprio expresso, sit successor Petri habens supremam auctoritatem in Ecclesia Dei. Postò, si sit suprema, nulla datur major. 4. Alteram Bullam in eodem Concilio edidit, & in Consistorio publico & generali promulgavit, qua prohibet appellare a Papa ad Concilium. Ita refert ipse Gerson Tract. Quomodo, & an licet, &c. quem sic inchoat: Quaeritur, utrum haec assertio sit catholica... Nulli fas est a supremo Iudice, videlicet Apostolica Sede, seu Romano Pontifice, Jesu Christi Vicario in terris, appellare, aut illius iudicium in causis fidei (quae tanquam majores ad ipsum, & Sedem Apostolicam deferrendae sunt) declinare. Subjungit: Arguitur quod sic, auctoritate sanctissimi Domini Martini Papae V. in sua constitutione, Ad perpetuam rei, facta & promulgata in consistorio generali celebrato Constantiae 6. Idus Martii Pontificatus sui anno 1. (hoc est 10. Martii 1418) ubi refertur haec assertio, sicut dicitur, & videtur in Canonum littera manifestè fundari.

Scio adversarios rejicere hanc Bullam, ut fictitiam, aut saltem contendere nunquam habuisse, nec habere vim in Ecclesia. 1. Quia Gerson illam non vidit, sed loquitur tantum ex auditu. 2. quia nullus Bullarum collector de ea facit mentionem. 3. Quia in ultima sessione Concilii Poloni, occasione libri Falkenbergii, cuius damnationem id publica sessione petebant, appellarunt ad futurum Concilium, nec Papa eos redarguit de transgressione Bullae. Sed contra: Ad 1. Gerson non dicit in terminis, se hanc Bullam non vidisse. Et esto non viderit, saltem illi certo constabat, eam extare, siquidem promulgata fuerat in publico & generali Consistorio, ut ipse refert, & illi opponebat integrum tractatum Theologicum. Ad 2. plures sunt aliae Pontificum Constitutiones, quae non reperiuntur in collectionibus Bullarum. Ad 3. Poloni non tam appellabant a Papa, quam ab ipso Concilio; petebant enim libellum seditiosum Falkenbergii, in sessione publica per sacrum Concilium, seu publice damnatum promoueri, antequam praesens Concilium dissolveretur. Item non appellabant a iudicio Pontificis aut Concilii, sed a denegatione iudicii. Tandem appellabant ad Concilium legitimum, cui Papa praesideret; sicut a Papa ad Papam appellabant, quod est extra questionem nostram.

Ceterum, quidquid sit de ista Bulla, in qua una non fundatur, saltem ex his, quae in hoc Tractatu dicit Gerson, habamus, quod ne ipse quidem Decreta sessionis 4. & 5. Concilii Constantiensis pro firmis & inconvulsis, quibus omnes parere obligarentur, tenuerit; siquidem Tractatum sic concludat: Haec autem dicta, vel argumenta sunt magis ad veritatis inquisitionem, quam ad aliquid praesertim sanctissimi Domini Martini Papae reprehensionem. Siene locutus fuisset Gerson, si decreta Constantiensis pro fidei decretis ab omnibus in omni casu certo tenendis habuisset? Inquiruntur veritas, quando certo habetur?

Secunda Responsio. Esto Decreta sessionis 4. & 5. sint intelligenda de certo Pontifice, & de Conciliis celebratis etiam extra causam schismatis; responderetur, tunc Concilium Constantiense non fuisse Oecumenicum quia Episcopi unius tantum obedientiae, scilicet Joannis XXIII. tunc aderant, nec inter se conveniebant quoad praefata Decreta. Ita refert Cardinalis de Turresemata, qui Concilio aderat, in Summa de Ecclesia l. 2. cap. 99. „Quod Decretum illud fictum fuerit ab universali Concilio legitime congregato & representantem universalem Ecclesiam militantem, est valde dubium apud multos: imò plurimorum iudicio, scilicet eorum, qui fuerant de obedientia Gregorii & Benedicti, falsum est. Quoniam, sicut apertissime patet ex gestis illius Congregationis, Decreta illa, si ita sunt appellanda, sunt facta solum a Patribus aliquibus obedientiae Joannis XXIII. Pro quo notandum est, quod Congregatio illa Constantiae celebrata tria tempora habuit. Prima fuit, in quo sola obedientia praefata Joannis (Balthasaris Cassi) Constantiae convenerat. Secundum tempus fuit, in quo Angelus Coriariensis, vocatus in obedientia sua Gregorius XII. juri suo cedens, praefata Congregationi sub certis modis & formis se conjunxit. Tertium tempus, in quo Reges & Principes, ac praefati obedientes Petro de Luna, Benedicto XIII. vocato in obedientia per suos Doctores, nova facta convocacione Concilii, se univerant praefata Congregationi ad pacem dandam universali Ecclesiae (& foimus nos tunc praesentes in minoribus constituti) pro quo solo tempore, convenientibus omnibus simul tribus obedientiis, fuit certum dicere, quod universalis Ecclesia representativè congregata esset Constantiae. Nullus autem

dubitat, quod asserere, quod sola obedientia Joannis fieret Concilium universale, universalem representans Ecclesiam, esset temerarium & scandalosum aliis obedientibus... In illa determinatione non modo non intervenit universalis Ecclesia, sed obedientia una tantum, scilicet Joannis XXIII. ut dictum, & etiam non integrè tota illa obedientia: quoniam plures Patres doctissimi illius obedientie illi non præstiterunt consensum suum. Hæc Joannes de Turrecremata Cardinalis piissimus, idemque doctissimus, & ut ipse scripsit, testis oculatus, cui fidem denegare, summè impudentia sit, inquit noster Serry. Ast ego ab his durioribus verbis abstinco, cum videam viros dignitate & eruditione conspicuos meritis Cardinali reverè fidem denegare; quia, inquit, hæc scripsit, cum esset addictus partibus Eugenii IV. contra Concilium Basileense. Sed miror, commendatissimos Scriptores tam futili ratione moveri, ut fidem viro summo, & omni exceptione majori, detrectent. Qualis amabo consequentia? Turrecremata adhæsit legitimo Pontifici contra conciliabulum: ergo mentitus est. Adhæsit S. Cyrillus Colesino contra Nestorium: ergo mentitus est in his, quæ scripsit contra Nestorium. Adhæsit Augustinus Innocentio I. contra Pelagianos: ergo mentitus est in his, quæ de Pelagianis scripsit, imò mentitus est Turrecremata in his in quibus putidissimi mendacii palam revinci poterat a pluribus, qui Concilio Constantiensi adfuerant, & erant adhuc supersites. Quis credat?

Instant aliunde contra istam responsionem, longè majorem partem Episcoporum ex obedientia Joannis XXIII. adfuisse primis sessionibus (numerant 200. & amplius) minime verò ex duabus aliis obedientiis abfuisse, siquidem existente integro Concilio interfuerint 240. tantum Episcopi, aut secundum alios 300. Sed contra. Minima pars Ecclesie dici non potest ex duabus obedientiis, cum sola obedientia Benedicti XIII. completeretur Regna Aragonie, Navaræ, Castellæ, Scotie, Insulas Majoricæ, Sardinie, Corsicæ, & alios Tractus. Acta verò Concilii apud Vandelhat Tom. 4. p. 73. numerant tantum 70. Episcopos in sessione habita 26. Martii, id est, quatuor diebus antè sessionem 4. & decem antè 5.

Reponunt: Absentia Gallorum a primis sessionibus Concilii Trid. non obfuit ejus Œcumenicitati: ergo pariter. R. N. Conseq. Disparitas est. Quod Galli essent longè minor pars respectu totius Concilii, non sic Præsules duarum obedientiarum, ut mox dicebam. 2. Galli non se opposuerunt convocacioni Concilii, quasi haberent potestatem à suo Pontifice, nec illis advenientibus facta est nova convocacio Concilii, quasi prior esset nulla, sicut contigit duabus obedientiis advenientibus Constantiam. 3. Prælati Galli probaverunt priora Decreta Tridentini in sua absentia, facta, non sic ultimò advenientibus Constantiam, ut restatur Cardinalis de Turrecremata citatus: *Illius Decretis* (sessionis 4. & 5.) *authoritati*, inquit, *alia dicit obedientia, scilicet Gregorij & Benedicti, apertissima contradictione in plena Congregatione se opposuerunt, & earum contradictio fuit accepta.*

Inclamant & inferunt: ergo mentiti sunt Patres Constantienses, dum dixerunt in his duabus sessionibus: *Hæc S. Synodus Concilium generale faciens*, &c. R. N. Illationem. Non enim quicumque dicit falsum, mentitur; nec mirum sic tunc bona fide erraverint Patres, non enim erant infallibiles, nondum congregato Concilio universali.

Urgent: Ipse Martinus V. agnovit, Concilium generale esse in primis sessionibus antè unionem obadientiarum, siquidem in litteris Apostolicis, quæ extant inter acta ultimæ sessionis dicit, *quod condemnationes errorum & hæreticorum Joannis V. Vicij, & Joannis Hus, & Hieronymi de Praga, facte de personis & libris eorum per sacrum generale Constantiense Concilium, fuerint iuste et ritè facte.* Item in alio interrogatorio ibidem dicit, *credendum esse et approbandum, quod, in favorem fidei et salutem animarum, Concilium Constantiense, universalem Ecclesiam representans, approbavit et approbat, condemnavit et condemnavit.* Sunt autem factæ istæ condemnationes sess. 8. quando soli adhuc obedientia Joannis aderat: ergo. R. cum Cajetano Onuse. de potestate Papæ & Concilio c. 8. *Quod Congregatio Constantiensis inchoavit in obedientia Joannis XXIII. & deinde iterum in conjunctione Gregorij XII. & 3. in conjunctione obedientie Benedicti XIII. consummata est, & post electionem Martini V. in eodem Concilio præsidens autorizata; & ab hoc nobiliori & certiori statu nuncupativè in quolibet statu Concilium generale vocatur a Papa, nominibus utendo, ut pluries, absquè veritatis offensa. Imò ut insinuaret Pontifex, quod ab hoc ultimo statu Con-*

cilium appellabat generale, præfacto interrogatorio fidei præterito conjungit præsens, dicens, quod Concilium approbavit & approbat, condemnavit & condemnavit.

Huic secundæ responsioni, si non stet prima, etiã favent, quæ diximus pro prima, num. 3. & 4.

Tertia responsio. Dato gratis, hæc Decreta intelligenda esse de quocumque Concilio generali, etiã extra casum schismatis & dubii Pontificis, atque à Concilio verè Œcumenico fuisse prolata; restat, ea non fuisse probata & confirmata a Martino V. Ut enim antè diximus, Martinus in ultima sessione probavit & confirmavit dumtaxat, *Conciliaritè acta & definita in materiis fidei, non aliter, nec alio modo.* Porro hæc Decreta neque conciliaritè, neque in materia fidei fuerunt prolata. Non *Conciliaritè*, non solum quia tunc Concilium non erat Œcumenicum, ut dictum est; sed quia non fuerunt edita more aliorum Conciliorum, discussis prius maturo examine tanti momenti questionibus. Fuerunt enim facta occasione recessus Joannis XXIII. à Concilio: recessit autè 21. Martii vespere, & statim conclusum fuit Decretum contra ipsum, atque 30. ejusdem mensis à quatuor Nationibus, contradicentibus Cardinalibus, fuit pronuntiatum. Non in *Materia fidei*: Nam in Sessione 5. hæc leguntur: *Surrexit de mandato totius S. Synodi Reverendus Pater Dominus Andreas electus Poznanienis & certa Capitula per modum Constitutionum Synodaliū, prius per singulas quatuor Nationes conclusa & deliberata, legit & publicavit: quarum tenores sequuntur, & sunt tales...* Inter has autem Constitutiones Synodales 1. & 2. loco recensentur Decreta, de quibus hic agitur. Lectis autem his & aliis Constitutionibus Synodaliibus, subiungitur; *Quibus peractis supradictis Reverendus Pater Dominus Andreas electus Poznanienis, in materia fidei & supra materia Joannis Hus legebat quedam avisa, quæ sequuntur & sunt talia.* Palam est, Concilium distinguere inter Constitutiones Synodales & materiam fidei, reponere Decreta, de quibus agitur, inter Constitutiones Synodales, & excludere à materia fidei; consequenter Martinum V. qui Decreta hujus Concilii tantum confirmavit in materia fidei, non aliter, nec alio modo, præfata Decreta, de quibus est questio, non confirmasse. Item hæc Decreta non fuerunt lata, sicut ferri solent Decreta fidei, sub poena anathematis aut hæresis: sed tantum sub poena penitentiarum aut punitionis contra transgressores contumaces, nisi resipuerint: ergo idem, quod prius.

Confirmantur hinc usquè dicta in tribus responsionibus. Si laudata Decreta essent Decreta fidei à Concilio verè Œcumenico sancita pro quocumque Concilio & Pontifice, etiã extra casum schismatis & dubii Pontificis, atque a Martino V. probata & confirmata, nullus Catholicus, cujuscumque status, conditionis, aut dignitatis, etiãsi Papalis, ausus esset illis contradicere, absquè hæreseos labe; atqui non solum Martinus ipse in Concilio illis contradixit, ut vidimus, sed paulo post Concilium plures Theologi eruditione & sanctitate insignes contrarium docuerunt, inter eos Turrecremata in Summa de Ecclesia, Ferrariensis in l. 4. cont. Gentes c. 75. S. Antoninus in Summ. p. 3. tit. 23. c. 3. §. 3. ubi dicit: *Sed nec ad Concilium Generale a Papa appellari potest, quia Papa omni Concilio superior est. Nec robor habet quicquid agitur nisi auctoritate Romani Pontificis roboratur & confirmatur. Sentire ergo, quod ad Concilium a Papa appellari possit, est hæreticum.* Sequentes Pontifices Pius II. & Julius II. prohibuerunt sub poena excommunicationis appellare a Papa ad Concilium. Item quotannis solemniter sub eadem poena prohibetur in publicatione Bullæ Cæneæ, a Gregorio XIII. innovatæ. Omnes ferè Theologi omnium aliarum Nationum, excepta Gallia, cujuscumque status, conditionis & dignitatis, palam contrarium docent, & quidam tanquam de fidei concludamus ergo, laudata Decreta non esse Decreta fidei ab omnibus certè & pro omni casu tenenda; vel quia spectant tantum casum schismatis & dubii Pontificis; vel quia non sunt à Concilio verè Œcumenico edita; vel denique quia non sunt confirmata a summo Pontifice. Et ita censuerunt ipsimet præcipui horum Decretorum defensores. Jam audivimus Gersonem. Audiamus Cardinalem Petrum de Alliaco Gersonis Magistrum, alterum Pontificie auctoritatis infra Concilium depressorem, Gersonem tamen moderatiorem. Is itaque in Tract. *De potestate Ecclesiastica*, quem post Sessionem 5. composuit anno 1417. juxta novam editionem operum Gersonis Tom. 1. pag. 926. & qui lectus fuit in Concilio 2. Octobris ejusdem anni, post multa dicta & allegata pro auctoritate Concilii supra Pontificem sic concludit: *Hæc igitur ad decem Ca-*

Capitula, in prologo hujus operis proposita, mihi pro responsione videntur sufficere. Quæ tamen non definitivè determinando, doctrinalitèr suadendo posita sunt. Nam hujus rei definitivum sacri Concilii determinationi submitto. Censebat ergo nondum latam ultimam hæc de re definitionem a Concilio.

Instant: Concilium Basileense Sess. 2. Decretum Constantiense innovavit, & confirmavit, certo & indubitato Pontifice existente: idque Eugenius IV. approbavit, & confirmavit Bulla *Dudum*, lecta Sess. 16. ejusdem Concilii Basileensis; in qua etiã revocat alias Bullas a se antè illas datas contra idem Concilium: ergo. R. Eugenium IV. nunquam probasse hoc Decretum Sessionis 2. Concilii Basileensis: equidem metu schismatis imminentis, ex eo quod Concilium Basileense Ferrarium, renitentibus Patribus Basileensibus, transulisset, & omnibus Principibus instantibus ut hanc translationem revocaret, annuit continuationi Concilii Basileæ, revocavitque Bullas, quibus ejus translationem, & dissolutionem præceperat, atque declaravit se intendere Concilium omni favore prosequi. Hæc, & nihil amplius Eugenius in dicta Bulla *Dudum*. Ex eo autem quod Concilium legitimum agnovit, ejus continuationem permisit, & illud omni favore prosequi intenderit, non sequitur, quod omnia ejus Decreta probaverit, & confirmaverit. Martinus V. Concilium Constantiense legitimum agnovit, omni favore illud prosecutus est, nec tamen omnia ejus Decreta confirmavit; sed ea solum, quæ in materia fidei conciliaritèr essent facta, nec aliter, nec alio modo, ut vidimus. S. Leo Concilium Chalced. legitimum agnovit, & ipsum omni favore pariter prosecutus est; nec tamen omnia ejus Decreta probavit, ut constat ex supra dictis. Idem de Eugenio IV. respectu Concilii Basileensis. Id restatur Turrecremata citatus, scribens se audivisse Eugenium Florentie in disputatione publica dicentem: *Nos quidem bene progressum Concilii approbavimus volentes, non tamen approbavimus ejus Decreta.* Idem Eugenius scribens Episcopo Leodienis, & Bononiensi, aliisque per Germaniam constitutis Apostolicæ Sedis Legatis, permittit illis, si opus sit ad devincendam illius Nationis obedientiam, approbare Decreta Concilii Basileensis antè translationem facta absquè tamen præjudicio juris, dignitatis, & præeminentiæ S. Sedis Apostolicæ, ac potestatis sibi, & in ea sedenti, in persona B. Petri a Christo concessæ. Apud Raynaldum ad ann. 1446. num. 5. & in Bulla *Moyse vir Dei* data in Concilio Florentino, & refertur inter *ejus acta* p. 3. pag. 1186. dicit: *Basileenses in hoc periculosissimi, dum suam malignitatem sub veritatis fuce colorant, Constantiense Concilium in malum, ac reprobum, sensum, & a sana doctrina penitus alienum pertrahunt, ceterorum hæreticorum, & schismaticorum falsam doctrinam sequentes, qui confictos errores, & impia dogmata ex divinis Scripturis, & sanctis Patribus, pererit intellectis, semper sibi adstruere moluntur.* Unde Nicolaus V. qui Eugenio successit, & quomodo Basileenses, Lausanam Concilium translulerant, inierunt pacem, & omniibus Decretis Concilii Basileensis approbavit tantum, quæ gesta erant circa censuras, & causas beneficiales.

Urgent. Qui Decreta Synodi scit, nec improbat, & edita Bulla Synodo adhæret, censetur illa Decreta approbare, præsertim si ipsa Decreta prius ab ipso damnata, ipso quoque Auctore convalescunt: ergo. R. D. Ant. Qui Decreta Synodi scit, nec improbat, censetur illa probare, si tempus congruat, & obligatio urgeat approbandi, vel improbandi, transeat. Secus, N. Non congruebat autem tempus, instante schismate, ex obstinatione Basileensium, ut circa hæc Decreta mentem suam aperiret summus Pontifex. Nec urgebat tunc obligatio approbandi, vel improbandi, cum non soleant Pontifices; nisi absoluto Concilio, Decreta approbare, vel infirmare. Neque per revocationem priorum Bullarum sic convalescerunt Decreta prius damnata, quasi essent approbata, sed ad eum statum revocata sunt, in quo erant antè damnationem.

Certe malo omine nobis hic adversarii objiciunt Concilium Basileense, cum ipsis plus noceat, quam prosit. Etenim Concilium Basileense deposuit Eugenium IV. Papam indubitatum, & ejus loco creavit Amadeum Sabaudie Ducem, sub nomine Felicis V. Si Concilium sit supra Papam certum, & indubitatum, possitque eum judicare, in ordinem redigere, & deponere, & ita sit definitum a Concilio verè Œcumenico, & confirmato tamquam veritas fidei, ut declararunt Basileenses Sess. 33. & tenent adversarii: quæro, quare universa Ecclesia (excipie Germaniam, quæ neutralitatem amplexa est, non tamen Galliam) non habuit Eugenium pro deposito, sed semper illi uti vero *Theol. Billuart. Secunda secunda.*

Pontifici adhæsit? Quare non agnovit Amadeum pro vero Pontifice, sed semper eum ut intrusum execrata est? Erraverunt ergo Basileenses in his Decretis explicandis, & sancientis, vel erravit in fide universa Ecclesia; imò etiam nunc errat, excepta Gallia, si quidem abhinc omnes alie Nationes, summi Pontifices, sequentia Concilia, omnes Universitates, omnes Theologi cujuscumque status, aut conditionis, extra Galliam, hæc præfata fidei decreta totis viribus impugnent. Hinc omnes Hæretici, sola Gallia Catholica.

Neque dicas, quasdam Germanicæ Universitates tempore Concilii Basileensis ejus decreta fuisse. Non diu steterunt in errore, sed brevi ad communem sententiam reversæ sunt. Neque etiam dicas, Ludovicum, Alemanum dictum Cardinalem Arelensem depositioni Eugenii IV. præfuisse, & tamen Beatorum Catholico a Clemente VII. fuisse adscriptum. Potuit enim ipsum excusare bona fides, & recta intentio, ut in multis aliis contingit.

Ingenue fateor, me non sine aliquo stupore legisse in aliquo artis adversæ Scriptore non ignobili, nihil videri obstare, quominus nostra sententia sit hæretica, neque nos a gravi nota esse immunes, nisi bona fides, re non satis attenta, excuset. Quò vergat ista intempestiva censura, quos, quot, & quantos feriat; ad quas angustias dilabatur, & quæ absurda devorare cogatur! mirum fidem versari, solam Galliam esse orthodoxam, intra solos Gallicæ limite Ecclesiam Christi sine capite coartari, patet ex dictis, & omnes percipiunt: at forte nemo percipit, quomodo iste Auctor possit secum conciliari. Dicit enim alibi, Episcopos Galliarum in sua famosa declaratione non intendisse decretum fidei condere, sed opinionem de fallibilitate Pontificis, & ejus subjectione ad Concilium generale, adoptasse ut potior? At, quomodo sententia simplici opinioni contraria sit hæretica? quomodo ejus defensores immunes esse non possunt a gravi nota? Qui potest capere, capiat.

Longè præstat audire alterum celebrem inter Gallos Scriptorem, Cabassutum, in notitia Ecclesiastica sæc. 15. pag. mihi 549. sic verius discurrerem. „Ex quo sibi (*Synodus Basileensis*) supra Pontificem Romanum auctoritatem indebitam arrogavit, plenamque jurisdictionem jubendi, compellendi, ipsique suis jussionibus non obediendum deponendi, aliumque ejus viventis loco Pontificem obstruendi, quod demum ab ipsa peractum est, desit esse legitima, sibi que grande vituperium fedamque maculam accersivit... cumque paucissimi Præsules, qui Basileam concesserant, jam olim canonice instituto, indubitato, & unico Pontifici Eugenio ejus in privatum ordinem reductionem comminarentur, debitamque hæreticis poenam nisi inferiorum, & subditum jurisdictioni Synodi profiterentur, ejusque mandatis obtemperaret; tunc cepit Concilium periculosi schismatis jactare semina, quamvis Constantiense decretum prætereret, sed in diversa longèque dispari causa: illud enim justam sibi attribuebat potestatem in plures Pontifices invicem contententes, & universam jam pridem Ecclesiam lacerantes, quorum jus obscurum admodum, & ambiguum erat, nec aliud remedium superat extinguendi diuturnum incendium quo Ecclesia conflagraret... Itaque Constantiense decretum felici exitu terminatum est, remoto schismate. At ex adverso, cum nulla esset, in Ecclesia consensio, solusque Ecclesie præesset Eugenius, quem fideles omnes legitimum agnoscebant, & colebant Pontificem, eo vivente, novum Basileenses Pseudo-Pontificem obtulerunt.

His adjuget, Pontificem Eugenium justam habuisse Basileensis Concilii alio transferendi causam, fervente tunc in omni vicinia gravi bello Burgundicæ inter, & Austriacæ Ducem, stantibusque tunc in armis Bohemæ, Moraviaeque populis, quorum injustis postulatis Concilium non poterat assentiri: jamque etiam transactis octo mensibus, postquam Synodum debuit exordium sumere, Episcopi apud Basileam non plures tribus, alique Prælati non plures, quam decem convenerant, atque ita immeritò non plures, quam decem generalis Concilii nuncupatione se jactabat, & quod longè deterius est, de extrudendo summo legitime electo Pontifice nefaria consilia cappesabat.

Solvuntur ceteræ Objectioes.

O Bj. r. Papa est frater noster, habet enim nobiscum eundem Patrem, scilicet Deum: ergo, si peccaverit, & non fuerit correctione emendatus, debet denuntiari Ecclesie, juxta præceptum Christi Matth. 19. Sub-

mo; atqui, qui denuntiatur Ecclesie ab ea iudicandus, est Ecclesie, consequenter Concilio generali, inferior: ergo. Respond. hæc Christi verba, *Die Ecclesie*, non intelligi de societate fidelium, aut de Concilio generali; nunquam enim fuit in usu, & esset absurdum, peccatum fratris inobediens deferri coram multitudine fidelium, aut ad id Concilia generalia institui; sed intelligi de Prælati Ecclesie: sicut enim dicitur deferri ad civitatem, quod deferretur ad Senatum; aut ad Imperium, quod deferretur ad caput Imperii, seu Imperatorem; ita censetur dici Ecclesie, quod dicitur ejus Prælati. Prælati ergo, qui non habet Superiorem, qualis est Papa, potest quidem fraternè cum humilitate, & reverentia corripi, & ex hac parte locum habet in eo sententia Christi; sed non habet ex ea parte, quæ præcipitur denuntiari Ecclesie, quia nullus est illi superior; sed oportet, inquit S. Th. (*In 4. d. 19. 2. a. 2. q. 3. ad 2.*) recurrere ad Deum, qui cum emendat, vel de medio subtrahat.

Inst. 1. Petrus, consequenter Papa ejus Successor, cum illis Matth. 18. instruebatur, quomodo se gerere deberet erga fratrem delinquentem: ergo, si peccator, secreto correptus a Pontifice etiam adhibitis testibus, non emendetur, debet Pontifex eum denuntiare Ecclesie. Subsumo: atqui, qui debet denuntiare Ecclesie, seu Concilio ab eo iudicandum, & puniendum, minor est Ecclesia, seu Concilio: ergo. R. 1. Petrus tunc Matth. 18. nondum fuisse institutum Pontificem. Unde potuit instrui cum aliis quomodo, ut privatus, deberet procedere in correctione fraternæ, & deferre superiori. R. 2. Casu, quo peccator a Papa fraternè correptus, etiam adhibitis testibus, non emendatur, debet Pontifex dicere Ecclesie, non hoc sensu, quod debeat dicere Concilio generali; absurdum enim foret, ut jam dixi, quod ad correctionem cujuscumque delinquentis deberent congregari Concilia generalia; sed hoc sensu, quod Pontifex sibi ut Judici, & Prælati debeat dicere; ita ut auctoritate Pontificia fungens ipsum in suo Tribunali examinet, & convictum puniat. Quamvis enim Pontifex non sit simpliciter seipso major, attamen consideratus ut persona privata minor est seipso, considerato ut persona publica.

Inst. 2. S. Greg. I. 4. Ep. 38. ad Joannem Constantinop. qui se dicebat universalem, & correctus non emendabatur, dicit: *Quidquid facere humiliter debui, non omisi; sed quia in mea correctione despicitur, restat, ut Ecclesiam debeat adhibere.* Et Nicolaus Papa. c. *Præcipue causa* 11. q. 3. dicit Lothario Regi: *Ceterum præcave, ne quid nobis secundum Domini præceptum duos, aut tres testes adhibeamus, imò verò ne hoc Ecclesie dicamus, & (quod non optamus) de cæteris fias sicut Ethnicus, & Publicanus.* R. ex dicit, utrumque Pontificem per Ecclesiam intelligere suum Tribunal, aut seipsos ex auctoritate officii præsidentes, secundum quod docet Auctor loc cit. in margine a. 3. quæst. 2. ad 4. *Prælati*, inquit, potest dupliciter considerari, aut secundum quod iudicio præsidet, & sic dicere Prælati est dicere Ecclesie; & sic debent prius testes adhiberi, quam Prælati dicatur: aut extra iudicium existens; & sic dicere Prælati non est dicere Ecclesie, sed personæ, quæ potest prodesse, & non obesse, quia nullus magis potest prodesse, quam Prælati: secundum hoc debet prius dici Prælati, quam testibus aliis.

Obj. 2. Concilia generalia auctoritatem exercuerunt in plures summos Pontifices: ergo. Probat. Ant. 1. Sexta Synodus damnavit Honorium. Concilium Pisanum deposuit Gregorium XII. & Benedictum XIII. Similiter Concilium Constantiense eisdem, & Joannem XXIII. deposuit. 3. Concilium Arelatense recognovit sententiam Melchiadis contra Donatistas, horumque appellationem justam existimavit, Aug. Ep. 162. in qua dicit: *Eccē ponamus omnes Episcopos, qui Romæ judicaverunt, non fuisse bonos Judices; restabat adhuc plenariam universæ Ecclesie Concilium, ubi etiam cum ipsis Judicibus causa posset agitari, ut si male iudicasse convicti fuissent, eorum sententia solverentur:* ergo. R. N. Ant. Ad 1. probat, 1. Honorius fuit damnatus post mortem: Pontifex autem mortuus non remanet Pontifex, quia post mortem non habet amplius jurisdictionem, ratione cuius est Pontifex. 2. Honorius accusatus erat de hæresi, quam dicebatur asseruisse ut privatus Doctor: in casu autem hæresis Pontifex desinit esse caput Ecclesie, quia desinit esse ejus membrum; & ideo potest a Concilio damnari.

Inst. Si Pontifex subiciatur iudicio Ecclesie in casu hæresis, quidni in aliis casibus? R. Quia in casu hæresis, & non in aliis, ipsa sua hæresi excidit a Pontificatu: quomodo enim remaneret caput Ecclesie, qui non est am-

plius ejus membrum? Unde subicitur iudicio Ecclesie, non ut deponatur, cum jam seipsum per hæresim deposuerit, & Pontificatum abiecerit; sed ut declararetur hæreticus, sicut innotescat Ecclesie non esse amplius Pontificem: ante quam declarationem non licet ipsi denegare obedientiam; quia ed usque retinet jurisdictionem, non de jure quasi esset adhuc Pontifex, sed de facto, Deo ita volente, & dispensante propter commune Ecclesie bonum.

Ad 2. probationem, Concilium Pisanum, & Constantiense deposuerunt dubios Pontifices, non certos. Dubius autem Pontifex non est Pontifex, quia non est caput visibile Ecclesie, & apud Ecclesiam non esse, & non apparere idem sunt. Si dicas, Joannem XXIII. habitum fuisse pro legitimo Pontifice ab ipso Concilio Constantiensi. R. id non constare, nec alicubi declaratum: sed hoc dato, non habebatur talis in aliis obedientiis, sicut remanebat dubius in Ecclesia.

Ad 3. Probationem 1. Concilium Arelatense non fuit œcumenicum, sed ad summum Nationale: unde si quid probaret objecto, sequeretur, quod summus Pontifex non solum generali Concilio, sed etiam Nationali esset inferior, quod non admittunt objicientes. 2. Concilium Arelatense non recognovit iudicium Melchiadis summo jure, quasi potuisset supra Pontificem iudicare; sed ex mera indulgentia in Donatistas, quorum clamoribus, & importunitate victus Imperator, ad eos compescendos, hoc Concilium illis dederat: unde Aug. Ep. 162. dicit: *Imperator dedit aliud Arelatense Concilium; non quia necesse erat, sed horum importunis clamoribus cedens, & omnimodo cupiens tantam insolentiam cohibere.* Adde, quod huic Concilio, in quo agebatur tantum de facto, ut antea dixi, iidem Romani Judices cum legis summi Pontificis adfuerunt. Unde ad eosdem iudices melius informandos, potiusquam ad aliud Tribunal, causa delata est. Ad verba Aug. hæc dixit S. Doctor non approbando, sed ironicè exprobando Donatistarum audaciam, quasi dixisset: quid restabat impudentiæ vestræ, nisi ut Concilium congregari peteretis ad rescindendam Melchiadis sententiam? Quod stultè, & impiè fecistis.

Quod objici posset; plures Synodos recognovisse iudicia Pontificum prius lata, ut Nicæna Synodus recognovit iudicium Sylvestri contra Arium, Ephesina iudicium Cœlestini contra Nestorium, Chalcædonensis iudicium S. Leonis contra Eutychem, &c. præceptum est supra, dum diximus, laudatas Synodos recognovisse Pontificum iudicia, non ex necessitate pro certitudine fidei, & ob insufficientia lati iudicii a Pontifice, quasi esset errori obnoxius; sed ad majorem solemnitatem, & ad Hæreticorum proterviam magis, & efficacius comprimendam, atque ut omnium Ecclesiarum in hæresi comprimenda consensio omnibus innotesceret.

Obj. 3. Plures Pontifices agnovērunt Concilia generalia esse sibi superiora: ergo. Probat. Ant. Cum Concilium Capuanum ann. 391. causam Bonosi Sardiensis Episcopi Anysio, & quibusdam Episcopis Macedoniæ, & Illyrici commississet iudicandum; hi difficultate litis implexæ deterriti, rogaverunt litteris datis Siricium Summ. Pontificem, ut hujus causæ cognitionem, & iudicium in se sumeret. At ille renuit, & respondit: *„cum hujusmodi fuerit Concilii Capuanis iudicium, ut finitimi Bonoso atque ejus accusatoribus Judices tribuerentur, advertimus, quod nobis ea iudicandi forma competere non posset. Nam, si integra esset ejusmodi Synodus, rectè de iis, quæ comprehendit scriptorum vestrorum series, decerneremus. Vestrum est igitur, qui hoc recepistis iudicium, sententiam ferre de omnibus. Vicem enim Synodi recepistis, quos ad examinandum Synodus elegit. Primum est, ut si iudicent, quibus iudicandi facultas est data. Vos enim totius, ut scripsimus, Synodi vice decernitis: nos quasi ex Synodi auctoritate iudicare non convenit:“* ergo. 2. Cum Innocentius I. sententiam pseudo-Synodi ad Quercum contra S. Chrysostomum rescidisset, & ipsum Sedi suæ restituisset, scripsit nihilominus Clero Constantinop. *Necessarium esse Synodalem cognitionem ad causam illam integrè finiendam... eam solam esse, quæ hujusmodi procellarum impetus retardare posset... deliberare se multum atque despicere, quomodo universalis Synodus congregetur, ut de voluntate Dei turbulenti isti motus compescantur.* Ita apud Paladium in Dialogo, & Sozomenum libr. 8. c. 26. ergo agnovit Pontifex, plus posse Synodum generalem, quam ipse posset; sicut se esse illi inferiorum. 3. Cum Philippus Augustus Galliarum Rex instanter peteret ab Innocentio III. ut rescinderet matrimonium contractum cum Inseburgi Regis Danie sorore (quod illa iuramento affirmabat esse consummatum), respondit Innocen-

centius: *Non audeamus de ejusmodi casu de nostro sensu pro te aliquid definire: si super hoc absque deliberatione Concilium determinare aliquid tentarem, præter offensam & mundanum infamiam, quam ex eo possemus incurrere, forsan ordinis & officii nostri periculum immineret; cum contra præmissam veritatis sententiam (quod Deus conjunxit, homo non sepat) nostra non posset auctoritas dispensare:* ergo, ut antè, agnovit Innocentius plus posse Synodum, quam ipse posset, & ab ea posse deponi, si petitioni Regis anuere.

R. N. Ant. ad probat. N. Conseq. 1. Quia alioquin sequeretur, quod Concilio etiam Provinciali, quale erat Capuanum, Pontifex esset auctoritate inferior, quod nemo admittit. 2. Quia Siricius recusavit cognoscere causam Bonosi, non quod non posset summo jure, sed tunc ne inverteret ordinem Juris, secundum quem & Canones prima causarum Episcopaliū cognitio pertinet ad Episcopos Compromissarios; tunc quia non decebat Majestatem Pontificiam, ut, quasi Subdelegatus a Delegatis per Concilium, videretur iudicare causam Bonosi. Quod formalibus terminis exprimit: *Nos, inquit, quasi ex Synodi auctoritate iudicare, non convenit.* Ad 2. probat. N. pariter Conseq. Innocentius enim dicit necessariam esse Synodum, non ad jus dicendum; siquidem jam ipse iudicium Teophili contra Chrysostomum irritaverat; sed ad compescendos motus Orientalium hac occasione excitatos; qui tamèn favente divina providentia sola auctoritate Innocentii sedati sunt. Ad 3. probat. N. interium Conseq. Etenim rectè dixit Innocent. III. se non auctore Regis postulationi annuere, quia Rex postulabat rem divino Jure prohibitam, scilicet dissolutionem matrimonii consummati: *Quod Deus conjunxit, homo non sepat.* Quod addit de necessitate Synodi, sine qua nihil potest concedere Regi, apertum est, id dicitur ad meram executionem & honestum effugium: nihil enim plus poterat in hoc casu concedere Concilium, quam Pontifex; neque tunc erat congregatum, aut ideo congregandum Concilium. Tandem subiungit, nec falso, periculum amittendæ dignitatis, si Regis votis annueret; quia Pontifex, in hæresim apertam lapsus, ut in casu contingeret, subicitur Concilio generali, a quo ideo potest deponi, seu potius declarari depositus, eo modo quo supra diximus.

Inst. 1. Summi Pontifices sæpè requisiverunt approbationem & confirmationem Conciliorum ut necessariam suis decretis, & in Conciliis non solent definire nisi approbante sacro Concilio: ergo se illi inferiores agnoscunt. R. N. Conseq. 1. Retorquo argumentum: Concilia petunt approbationem & confirmationem Pontificis: ergo sunt illi inferiora. Negant Consequentiam Objicientes, quidni neguemus, quam inferunt ex simili Antecedente. 2. Pontifices quandoquæ dicunt: *Sacro approbante Concilio*, seu requirunt approbationem & confirmationem Conciliorum, non quæ sit auctoritatis dantis robor, & firmitatem Decretis Pontificis, sed simplicis assensus & adhesionis, qualem dare possunt æquales aequalibus, imò inferiores Superioribus. Hinc ergo dicunt, illam esse necessariam, non intelligunt esse necessariam ad certitudinem diffinitionis, sed ad majorem solemnitatem, ut efficacius frangatur Hæreticorum protervia, & motus compescantur, ut diximus supra.

Inst. 2. Pontifices passim profitentur, se adstringi canonicis Conciliorum: ergo. R. D. Ant. Summi Pontifices profitentur se adstringi canonicis, quæ pertinent ad Jus divinum, vel naturale. C. Qui pertinent, ad Jus Ecclesiasticum tantum, Subdistingunt: Adstringuntur via directiva, in quantum eorum statui conveniunt, C. Via coactiva, N. Unde negatur consequentia. Solutio patet.

Inst. 3. Cœlestinus I. Ep. ad Episcopos Illyrici dicit: *Dominentur vobis leges, non legibus dominentur: parcamus canonibus, & ea, quæ sunt nobis præcepta, servemus.* Sylvester II. Ep. ad Sequinum Archiep. Senonensem dicit: *constantè dico, quod ipse Pontifex Romanus si in fratrem peccaverit, & septius admittens Ecclesiam non audierit; hic, inquam, Romanus Pontifex præcepto Dei est habendus tamquam Ethnicus & Publicanus:* ergo. R. ad 1. 1. Solutio precedenti. 2. Leges debent dominari Pontificibus, non dominatione potestatis coactivæ, sed dominatione rationis. Quæcumque enim ductu rationis regitur, ratio dicitur illi dominari. Ad 2. Quando hoc dixit Sylvester II. non erat Pontifex, sed erat Gerbertus Archiepiscopus Rhemensis a Papa depositus, & ideo in eum exasperatus. At postea, penitentia ductus, & Pontifex factus, aliter sensit & locutus est.

Inst. 4. Pontifices in sua Consecratione jurant, aut saltem *Theol. Billuart. Secunda Secundæ.*

tum jurabant olim observare Canones Conciliorum: ergo illi subiciuntur. R. N. Conseq. Obligatio enim juramenti est ad Deum tantum, nec arguit subjectionem ad homines. Sic, dum Reges in sua inauguratione jurant servare privilegia Patriæ, obligantur coram Deo; non tamen ideo subiciuntur suis civibus. Deinde Pontifices ex juramento tenentur absolute servare canones spectantes Jus naturale, vel divinum. Quantum autem ad eos, qui spectant solum Jus Ecclesiasticum, patet, quod non intendunt ita strictè se obligare, cum quotidie in eis dispensent.

Obj. 4. Sæpè, præsertim in Gallia, appellatum est a summo Pontifice ad Concilium generale: ann. 1302. a Bullis Bonifacii VIII. ann. 1491. a Bulla Innocentii VIII. occasione decimarum extraordinariorum. Ann. 1517. a Concordato Leonis X. cum Francisco I. propter abrogationem Pragmaticæ Sanctionis. Ann. 1682. a Decretis Innocentii XI. in causa Regaliæ; atqui appellatio non fit nisi ab inferiori ad superiorem: ergo. R. N. Conseq. 1. Quia ex facto jus nec probatur, nec acquiritur; præsertim si sint jura positiva facta contraria, ut hic contingit, & patet ex Probationibus conclusionis. 2. Quia istæ appellationes non sunt factæ ad Concilium generale, excluso Pontifice, sed ad Concilium, quod Pontifex convocaret, & cui præset per se, vel per suos legatos; sicut non tam sunt appellationes, quam novæ ejusdem causæ cognitiones coram eodem Judice, aliis tantum Judicibus Pontifici subordinatis assidentibus. Insuper appellatio a Concordato non erat proprie Appellatio ad Concilium generale, sed ad ipsum Pontificem & plenus Concilium; quia Galli non reputabant Concilium Lateran. generale. Similiter non habebant Bonifacium VIII. pro legitimo Pontifice, ideoque existimant sibi licitum ab illo appellare. In aliis Regnis gravissimi occurrunt ordinariè per supplicationes, representationes, & legatos, sicutque plerumquæ res pacificè componuntur.

Obj. 5. Totum est majus sua parte; atqui Concilium Œcumenicum est quoddam totum morale, cuius Pontifex pars est, etsi præcipua: ergo Concilium est majus & superius Papa: juxta illud vulgatum S. Hieron. *si auctoritas queritur, Orbis major est Urbe, cap. Legimus D. 93.* R. hoc argumentum non attingere Thesis, quæ non est de Concilio generali computato summo Pontifice, sed de Concilio, seu Congregatione Episcoporum, non computato Pontifice, ut diximus initio art. Si autem quærat de Concilio computato Pontifice, diximus Concilium esse illo majus extensive, non intensive & auctoritate, quia tota Concilii auctoritas a Summo Pontifice dimanat: & in hac hypotesi Pontifex est pars, sed Dominatrix & Rectrix, sicut caput et pars corporis, ipsi toti dominans atque illud regens; quo sensu pars non est totum, cui dominatur, auctoritate inferior. Res magis elucescet retorsione argumenti in adversarios. Totum est majus sua parte; atqui Comitia generalia Regni Gallie sunt quoddam totum, cuius Rex est pars, etsi præcipua: ergo Comitia generalia sunt quid majus & auctoritate superius Rege. Idem concedunt Galli?

Neque dicas, Comitia Regni Gallie olim deposuisse Regem. Idæo licitè factum, an illicitè? Meum non est inquirere. At persuasum habeo, quod quid simile nunc, etiam suppositis illis circumstantiis, non audent attentare Galli. Sed & est disparitas, quod auctoritas Regum sit originatè a populo; auctoritas autem summi Pontificis sit immediatè a Deo. Neque etiam inferas, juxta nos Episcopos in Conciliis non sedere ut Judices, sed esse tantum Consiliarios Pontificis. Sunt namquæ veri Judices, sed inferiores & subordinati summo Pontifici, qui eorum iudicium potest recognoscere, examinare, & emendare. Quantum ad dictum Hieronymi, id dixit S. Doctor, non comparando auctoritatem Pontificis cum auctoritate Concilii, sed comparando consuetudinem urbis Romæ cum consuetudine aliorum Regnorum; vulgare, alia Regna non tenent, usibus suis abdicatis, sequi usum urbis Romæ, secundum quem Diaconi se præferant Presbyteris. De quo jam dixi alibi.

Inst. 1. Auctoritas Concilii est divina, seu divine conjuncta, potestque dicere sicut Concilium Hierosolymitanum *Visum est Spiritui S. & nobis:* ergo tenetur Pontifex illi assentiri, nisi velit deviare a Spiritu S. sicut est inferior Concilio. R. 1. Argumentum eadem chorda, se præcedens aberrare: Concilium enim, cuius est divina auctoritas, & quod potest dicere *Visum est Spiritui S. & nobis*, est Concilium, computato summo Pontifice, de quo non est quæstio; non verò Concilium, sejuncto summo Pontifice, Unde Concilium Chalced. condens canonem 28. repugnan-

tibus Legatis, & quem rescidit S. Leo, non poterat dicere: Visum est Spiritui S. 2. Esto, Pontificem teneri assentiri definitis a Concilio generali, eo absente; non inde sequitur, quod sit illi inferior, sed quod Concilium recte definit. Sic Concilium Ephesinum tenebatur assentiri definitis a Concilio Niceno, nec tamen ideo erat illi inferius.

Inst. 2. Est de fide, quod Concilium generale sit infallibile; & non est de fide, quod summus Pontifex sit infallibilis; atqui auctoritas, quae est de fide infallibilis, potior est ea, quae non est de fide infallibilis: ergo auctoritas Concilii est potior & superior auctoritate Pontificis. R. iterum argumentum currere in eadem falsa hypothese: Concilium namque, quod secundum fidem est infallibile, est Concilium Oecumenicum cum suo capite Romano Pontifice, de quo non procedit questio; non vero Concilium se junctum a suo capite, de quo procedit questio: constat enim plura Concilia, se juncto capite, errasse, ut Ephesinum II. Chalced. & Ariminense. Insuper infallibilitas non arguit necessario superioritatem: nam S. Joannes erat infallibilis in fide, & tamen auctoritati Linii & Cleti summ. Pontificum, quorum temporibus vivebat & scripsit Apocalypsim, subiegebatur; quamvis hi Pontifices, juxta Adversarios, essent in fide fallibiles.

Inst. 3. Summus Pontifex est filius Ecclesiae; atqui filius est inferior matre: ergo. Respondet Pius II. in Bulla Re-tractionis data ann. 1463. quod, *Etsi Ecclesiae filius sit propter regenerationem; propter dignitatem tamen Pater habetur. Et, sicut filiationis causa debet ipse Ecclesiam venerari tanquam Matrem; ita & Prælationis causa præfertur ei ut Pastor gregi, Princeps populo, Rector familie.*

Inst. 4. Ecclesia potest eligere Pontificem: ergo & illum deponere. R. N. Conseq. Quia per Electionem fit caput & superior Ecclesiae, in quem proinde Ecclesia non habet jurisdictionem, nec potestatem coactivam: sic Capitulum potest eligere Episcopum, illud autem semel electum non potest deponere.

Inst. 5. Secundum Jura potest deponi Pontifex simoniacè electus: ergo. R. N. Conseq. Quia Pontifex simoniacè electus non est verè Pontifex, cum electio simoniaca sit nulla: modo tamen non sit acceptus ab universa Ecclesia; hoc enim casu acceptio Ecclesiae supplet defectum electionis, ut dicitur art. seq.

Obi. 6. Ab inconvenientibus. Non est credibile, Deum destituisse Ecclesiam omni remedio in extremis; atqui id contingeret, si Pontifex non subiecerit Concilio: 1. Si Pontifex esset noxius Ecclesiae, eamque vellet subvertere. 2. Si sit captivus. 3. Si sit amens: in his enim casibus nullum videtur remedium nisi in Concilio, quod possit Papam deponere: ergo. R. N. Min. Ad 1. casum: si nitatur subvertere Ecclesiam in fide, cum tunc sit manifestè hæreticus, hoc ipso exiit a Pontificatu; & requiritur tantum declaratio Ecclesiae, ut denegetur ipsi obedientia, sicut diximus antea. Si autem aliter sit noxius Ecclesiae, quidam respondent fideles posse vi armorum illi resistere, absque eo quod ideo amittat superioritatem: sic dum iniuste invasus a suo superiore, illi resistit, invadens non amittit ideo superioritatem. Sic iterum si Rex Galliae, qui nullum agnoscit superioritatem in temporalibus, vellet Regnum subvertere, possent populi vi armorum illi resistere, nec tamen ideo amitteret dignitatem Regiam. Respondet S. Th. (In 4. d. 19. q. 2. a. 2. q. 3. ad 2.) *Recurrendum esse ad Deum, qui eum emendat, vel de medio subtrahat.* Vel dicendum, quod cum Deus speciali providentia regat & conservet suam Ecclesiam, non permittet, sicut hic usque non permisit, hunc casum evenire; aut si permittat, non deest in subministrandis mediis & auxiliis opportunis. Ad 2. casum Pontificis captivi: fient ab Ecclesia ad Deum preces, sicut fiebant pro Petro, dum detinebatur captivus ab Herode; nec interim desinet esse Pontifex, aut poterit deponi a Concilio: sicut Rex Galliae captivus non desinit ideo esse Rex, nec deponi potest a populis. Ad 3. casum: si Pontifex sit perpetuo amens, censetur mortuus; est enim amens revera mortuus quantum ad vitam rationalem; sicque Ecclesia sibi providere poterit de alio Pontifice. Interea vero in hoc & precedenti casu non desinet Ecclesia, sed servabit infallibilitatem fidei passivam. Quod si occurrant controversiae de fide, vel moribus, poterunt Episcopi, vel Concilium definire; sed definitio non habebit ulnam & absolutam firmitatem, donec confirmetur a Pontifice sequente, ut jam diximus & dicemus.

Hæc questio nata est & facta celebris in eunte sæculo superiori, cum quidam in Hispania, præsentientes, Clementis VIII. iudicium fore contrarium suis opinionibus, quæ tunc Romæ examinabantur, ut pararent sibi viam ad illud declinandum, propositis publicis Thesis defenderunt, non esse de fide Clementem VIII. esse Petri Successorem; quarum Auctores jussit incarcerationi summus Pontifex; & inde contrarium etiam in publicis Thesis cepit Romæ propugnari. Nullus est inter Catholicos, qui non certo teneat, Pium VI. vel quemcumque alium actu sedentem, esse summum Pontificem; sed diverso gradu certitudinis. Quidam tenent, id certum certitudine morali tantum, quidam certitudine Theologica; alii & communius, quibus subscribimus, certitudine fidei.

Ad cujus ultimæ sententiæ intelligentiam revocanda sunt, quæ scripsimus Dissert. de Ecclesia art. 7. §. 3. in 2. Resp. ad Obj. 1. Id dicitur de fide, quod est revelatum. Dupliciter autem aliqua veritas à Deo revelatur, 1. immediate in se, ut hæc, *Deus est unus & trinus; Christus est homo.* 2. mediate in alio: & hoc iterum dupliciter; velut effectus in causa, seu proprietas in essentia; ut hæc, *Christus est risibilis*, revelata est in hac; *Christus est homo*, ut proprietas in essentia, seu effectus in causa. Vel ut pars in suo toto, ut hæc, *Petrus est mortalis*, in hac, *omnis homo est mortalis*; vel, *David peccavit in Adam*, in hac, *omnes peccaverunt in Adam*; vel hæc, *Christus est mortuus pro me*, in hac, *Christus est mortuus pro omnibus*. Quæ revelantur mediate ut effectus in causa, seu ut proprietas in essentia, non sunt objectum fidei, sed assensus Theologici tantum; quia effectus in causa non continetur formaliter, sed virtualiter dumtaxat. Quæ autem revelantur ut partes in toto, sunt objectum fidei; quia partes non sunt solum virtualiter in toto, sed formaliter, & veritas propositionis universalis per se petitur ex veritate propositionum particularium, quæ in ipsa formaliter continentur; in tantum enim propositio universalis est vera, in quantum propositiones particulares, quæ continent, sunt veræ, v. gr. ideo verum est, quod omnes homines sunt mortales; quia verum est, quod iste & iste homo sit mortalis. Unde eo ipso quod revelatur propositio universalis, revelantur etiam omnes propositiones particulares, siquæ ad idem fidei lumen pertinent: seu eodem fidei habitu attinguntur. His notatis,

Dico: Probabilius videtur, esse de fide, Pium VI. esse summum Pontificem. Prob. 1. ex prænotatis: hæc propositio universalis: *Omnis homo, acceptus ab universa Ecclesia in Petri Successorem, est summus Pontifex*, est de fide; atqui hæc particularis: *Hic homo Pius VI. acceptus ab Ecclesia universa in Successorem Petri, est summus Pontifex* continetur, in priori generali tanquam pars in toto: ergo est etiam de fide. Major à nullo Catholico negatur: cum enim sit revelatum, & de fide, Christum instituisse Ecclesiam usque ad consummationem sæculi duraturam, pariter est revelatum, & de fide, quod successor Petri, quem fundamentum, caput, & summum Pastorem instituit, iisdem privilegiis gaudet. Min. est evidens; partes enim hujus propositionis universalis: *Omnis homo acceptus ab universa Ecclesia in Petri Successorem est summus Pontifex*, sunt; & iste ab Ecclesia acceptus in Petri Successorem est Pontifex. Consequentia denique constat ex prænotamine; quia, ut dictum est, particularis formaliter contenta in generali de fide, est etiam de fide. Confirm. hæc propositio: *Hoc Concilium Tridentinum acceptum ab Ecclesia pro Oecumenico est Regula fidei*, est de fide; quia continetur ut pars in toto in hac generali de fide: *Omne Concilium, acceptum ab Ecclesia pro Oecumenico, est regula fidei*: ergo à pari de Pontifice.

Dices: Ista propositio particularis: *Hic homo Pius VI. acceptus ab Ecclesia in Successorem Petri, est summus Pontifex*, non continetur in hac generali: *Omnis homo, acceptus ab Ecclesia universa in Successorem Petri, est summus Pontifex*, nisi supponendo, quod Pius VI. fuerit ritè electus; atqui non est revelatum, nec de fide, quod fuerit ritè electus, sed hoc scitur tantum ex testimonio hominum. Sit paritas: est de fide, quod omnis hostia ritè consecrata sit adoranda; non est

tamen de fide quod hæc hostia sit adoranda, quia non est de fide, quod sit consecrata. R. N. Maj. Hæc enim suppositio non habet locum in casu nostro, neque pro propositione generali, neque pro particulari: quia cum Ecclesia sit infallibilis in acceptanda fidei regula, ut modo dicam, fuerit ritè facta, vel non electio Pontificis, hoc ipso quo Ecclesia illum acceptat, est verus Pontifex, & fidei regula, suppletque Ecclesiae acceptio defectum, qui potuit irrepere in electione. Et si quidam Canones videantur dicere oppositum, intelligendi sunt de electione antè acceptationem Ecclesiae. Unde est disparitas de hostia: Ecclesia enim non declarat, hæc hostiam esse consecratam, adeoque contineri sub universali, sicut in actu exercito declarat Pium VI. esse acceptatum ab Ecclesia in Petri Successorem, sicque contineri sub universali. Insuper, cum consecratio hujus hostie sit quid particulare non pertinent ad regimen universæ Ecclesiae, non esset infallibilis Ecclesia in hoc declarando, nec ejus declaratio posset supplere defectum consecrationis. Ut autem propositio particularis, contenta in universali de fide, sit quoad nos de fide, debet nobis certò constare, eam contineri in universali de fide.

Repones: Satis non constar, hunc hominem Pium IV. esse Petri Successorem, & Pontificem, nisi ex hoc discursu humano: *Omnis homo, acceptus ab Ecclesia in Petri Successorem, est summus Pontifex; atqui Pius VI. est acceptus ab Ecclesia in Petri Successorem: ergo est summus Pontifex*; atqui assensus, seu cognitio veritatis, quæ innititur discursui humano, non est fidei: ergo. Item Minor hujus syllogismi non est de fide: ergo nec Conclusio; quia, secundum Dialecticos, conclusio sequitur debiliorem partem. R. D. Min. assensus veritatis, quæ innititur discursui humano, ut causæ moventi ad assentiendum, non est fidei, C. Quæ innititur discursui humano, ut causæ applicanti motum assentiendi, seu ipsam revelationem, non est fidei, N. non repugnat ergo cognitioni, seu assensui fidei, quod supponit aliquem discursum, non tantum motivum, propter quod præbeatur assensus, sed per quem revelatio universalis applicatur huic particulari subiecto, ut patet in hac propositione, *David in Adam peccavit*, quæ licet sit fidei, indiget tamen, ut credatur, hoc discursu: *Omnes posteri Adam in ipso peccaverunt; atqui David est ex posteris Adam: ergo peccavit in Adam*. Iste discursus non est causa, seu motivum, propter quod credo Davidem in Adam peccasse, sed est tantum applicatio hujus revelationis universalis: *Omnes in Adam peccaverunt*, huic particulari subiecto, nempe David: & ista revelatio est motivum, cur credam Davidem peccasse. Ità in nostro casu, Ad id quod additur de Regula Dialectice: R. hæc Regulam non habere locum in discursu modo applicativo; quia propositio universalis, quæ ponitur in Majori, non est causa propositionis particularis, quæ ponitur in conclusione; cum, ut dictum est, propositio universalis nihil aliud sit, quam omnes particulares: minor autem naturæ hæc, *David est ex posteris Adam*, est tantum applicatio majoris universalis, & ejus applicatio ad hoc determinatum subiectum. Unde, si propositio universalis sit de fide, non obstante Minori naturali, conclusio particularis, in Majori contenta ut pars in toto, erit etiam de fide.

Prob. 2. Conclusio. De fide est, quod Ecclesia errare non possit in acceptanda fidei Regula; atqui acceptando hunc hominem in summum Pontificem, eum acceptat ut fidei Regulam: ergo de fide est, hunc hominem, quem acceptat in Pontificem, esse verum Pontificem. Min. est certa. Prob. Maj. Si Ecclesia errare posset in acceptanda fidei Regula, errare posset in acceptandis definitionibus ab hac incerta Regula emanatis; sicut, si erraret, posset in declarando aliquo libro Canonico, aut in acceptando aliquo Concilio Oecumenico, errare posset adherendo contentis in isto libro, vel rebus definitis ab isto Concilio; sicque Porri afferi posset adversus illam prævalere: ergo. Confirm. De fide est, Ecclesiam, in quo sumus, esse veram, & Catholicam Ecclesiam; atqui non est vera, & Catholica Ecclesia, quæ non est unita legitimo suo capiti: ergo hoc ipso quo Ecclesia acceptat hunc hominem in Pontificem, & caput cui unitur, est de fide, quod sit Pontifex, & caput Ecclesiae. Neque refert, quod Ecclesia possit esse sine capite; præter enim est remedium in electione novi capitis. At si habeat caput fictum, quod ignoret, nullam superest remedium; non potest enim sibi de alio providere, & ficto subeanti, atque definiti parere tenetur.

Præter jam solutas instantias, Obj. Non est revelatum in Scriptura, nec in Traditione, Pium VI. esse summum Pontificem: ergo. R. D. Ant. Non est revelatum immediate in se, C. mediate in suo toto, N. Solutio pa-

tet ex probat. Conclusionis. Instar in paritate cum Concilio Tridentino.

Inst. 1. Non est revelatum, nec de fide, quod Pius VI. sit baptizatus, & mas: ergo nec quod sit summ. Pontifex. Prob. Conseq. Pius VI. non potest esse summ. Pontifex, nisi sit baptizatus, & mas; ergo, si non sit revelatum, quod sit baptizatus, & mas, non est revelatum, quod sit Pontifex. R. N. Conseq. Ad probat. N. Conseq. Ex hoc enim, quod aliquid sit revelatum, non sequitur, quod debeat esse revelata quæcumque sunt necessario cum illo connexa: quin imò in hoc consistit Theologicus discursus, quod versetur circa ea, quæ necessario connectuntur cum revelatis, sic v. gr. quod Christus sit homo est revelatum, & quia risibilitas est necessario connexa cum homine, inde inferitur, quod Christus sit risibilis certitudine Theologica, sed non fidei. Jam autem in casu, revelatio spectat tantum personam acceptatam in Pontificem, non conditiones ad illi requisitas, sed ex revelato, consecratione, & certitudine Theologica inferuntur. Unde, cum antè acceptationem Pii VI. in Pontificem, esset tantum moraliter certum, quod esset baptizatus, jam nunc post acceptationem est certum certitudine Theologica. Sit paritas. Definitio lata a Concilio, quod Ecclesia acceptat pro Oecumenico, est revelata, & pertinet ad fidem; ad eam necessario prærequiruntur, quod res definita fuerit prius maturo examine diligenter discussa, & quod Judices sedentes fuerint veri Episcopi: neutrum tamen est revelatum, nec de fide; sed quia est de fide, quod Ecclesia errare non possit in acceptando Concilio Oecumenico, & definitio ejus non possit esse falsa, inde inferitur ut certum certitudine Theologica omnia necessaria adfuisse, & discussionem sufficienter fuisse adhibitam, & Judices, sedentes in numero competenti saltem, fuisse veros Episcopos.

Inst. 2. Cui negaret, Pium VI. esse Pontificem, non esset hæreticus: ergo non est de fide, R. D. Conseq. Non est de fide certò, C. Probabilius, N. Seu ut alii dicunt; est de fide, sed non est de fide, quod sit de fide; sicque non est de fide Catholica, & obligans, quod tamen requiritur, ut quis negando sit hæreticus. Hæresis enim consistit in pertinacia in negando id, de quo certum est de fide in Ecclesia, quod pertineat ad fidem.

Inst. 3. Quod semel est de fide, semper est de fide; atqui intra centum annos non erit de fide, quod Pius VI. fuerit summ. Pontifex: sicut non est certum nunc, quod defuncti Pontifices fuerint summi Pontifices: ergo neque nunc est de fide, quod Pius VI. sit Pontifex. R. D. Maj. Quod est semel de fide semper est de fide quoad se, C. quoad nos, N. Multa enim tempore Christi fuerunt de fide quoad nos, quæ non sunt modo. Ratio est, quia nihil est de fide quoad nos, nisi proponatur ab Ecclesia, ut ad fidem pertinet. Quamvis autem nunc proponat, Pium VI. ut summ. Pontificem, & caput Ecclesie tanquam ad fidem pertinet; non sequitur, quod intra centum annos proponat ut quid ad fidem pertinet, quod fuerit summ. Pontifex, sicut nunc non proponit alios Pontifices defunctos, quia id non est necesse ad regimen commune Ecclesie. Quid enim facit ad regimen præsens, & bonum commune Ecclesie scire, quot, & qui fuerint olim Pontifices? Id autem noscimus tantum ex testimonio humano, cui potest subesse falsum. Quidam excipiunt casum, quo Ecclesia proponeret credendum aliquod dogma definitum a tali defuncto Pontifice; videtur enim, quod hoc ipso proponeret, eum fuisse Pontificem, & fidei Regulam, sine quo dogma, ab ipso definitum, non foret fidei definitum credendum.

Inst. 4. Semper erit verum, Ecclesiam proposuisse Pium VI. ut Pontificem: ergo si ex præsentis propositione nunc sit de fide quoad nos, quod sit Pontifex, semper erit de fide, quod fuerit summ. Pontifex. R. D. Ant. Semper erit verum, Ecclesiam proposuisse Pium VI. ut Pontificem, & hoc semper constabit ex principiis fidei, quæ sunt Scriptura, Traditio, & Ecclesie determinatio, seu propositio. N. Ant. Et non semper sic constabit, C. Ant. & N. Conseq. Quia, sicut diximus, ut aliquid sit de fide quoad nos, debet nobis constare ex Ecclesia determinante, & proponente tanquam revelatum in Scriptura, vel Traditione.

Quod posset opponi de fabula Papisæ, latè expositum, & solutum est in Tract. de Ordine Digress. 2. ad Dissert. 3.